

~~Ed. 65~~

1) Polanus, Arminius

(nicht 21 - 25)

Ed 65

nicht
verfilmbare
nicht PK

2

ARIANORVM RECEN-
TIORVM LIBELLO

Cui haud ita pridem edito, titu-
lum fecerunt,

ARGVMENTI PRO TRINO ET
VNO DEO, OMNIVM PO-
tissimi, aut certè vsitatissimi,
examinatio, &c.

Opposita brevis responsio sine
ANTITHESIS;

73

Scripta ad Θεογνωσίας s. con-
firmationem

à

CHRISTOPHORO PELARGO D.

Quam in familiari & sobria doctorum adolescen-
tum σωθεολογήσει tueri conabitur

Iohannes Henricus S. S. L.



[FRANCOFVRTI

Typis Eichornianis.

Anno c1o 1o xclii.

Christoph. Pelargus

Reuerendâ dignitate,

pietate verâ

Doctrinâ eruditâ

Prudentiâ eximiâ

Autoritate præcipuâ

Clarissimis, ornatissimis

& præstantissimis

viris

Dn. M. IOANNI PELARGO

Ecclesiæ Svidniciensium Pastori

vigilantissimo

**Et huius fidelibus Symmistris atq̃
Collegis venerandis;**

nec non

*Scholarchis & Rectoribus Ludi
literarij optimis;*

Dn. Parenti, Mæcenatibus

& amicis

d. d.

Vna cum Antithesum harum Auctore

Ioannes Henricus.



T Iudæorum

aduersus Dominum
blasphemias Spiritus S. in li-
teras redegit, quò ad omnes
ætates velut columnæ in-
sculptas transmitteret; minis
mè verò, vt incontaminatæ
vnigeniti gloriæ blasphemí-

Basil. lib. 1.
aduers. Etn-
nom.

am aliquam affricaret; vt Orthodoxi Patres, hæretico-
rum monstrosas impiasq; voces repetière, & πρὸς βλάσ-
φημιαν ἀλλ' ὠφέλειαν, quemadmodum de suo contra LXXX
hæreses scripto opere sub finem testatur Epiphanius:
ita Arianorum recentiorum impietatem & κακολογίαν
in lucem ponemus ex eo libello, quem typis non ita
pridem, Smigla, vt conijcimus, exscripserunt. **Ve-**
stras enim Ariani (quibus verbis Hieronymus sui
quondam temporis hæreticos compellabat, ego vos
alloqui non dubito) vestras inquam sententias prodi-
disse, superasse est: patet prima fronte blasphemia, non
necesse habet conuinci, quod sua statim professione
blasphemum est.

Pag. 46 f.

Hier. ad Cte-
siph. de lib.
arb. contra
Pel. hæret.

Ordine autem sic examinabimus omnia, vt falsis
ipsorum distinctionibus, παραγραφαῖς, παρερμηνείαις
scripturæ deprauationib., cauillationibus & impostu-
ris, compendiis & verè tamen occurramus, atq; imi-
tati Basilij Athanasij & Theodoretij Dialogos Ari-
ano Orthodoxum opponamus.

Ita quidē illi, ad argumentum, quod est, & erit
ἀλυτον primo respondere conati sunt.

ΑΖ

DEVS



I.

DEVUS est tantum unus, ut ex multis scripturae testimonijs aperte constat. Atqui Pater in sacris literis dicitur Deus, Filius item, & spiritus sanctus dicitur Deus. Ergo Pater, Filius, & spiritus sanctus sunt unus Deus. Et consequenter Deus unus quidem est essentia, sed trinus personis.

RESPONSIO ARIAN.

Vox Deus duplici modo potissimum in sacris literis accipitur. Prior modus est, cum significat illum, qui tum in caelo, tum in terra alijs dominatur ac praest, rerumq; auctor est & origo, ut neminem superiorem aut principem habeat, nec ab ullo pendeat. Atq; hoc priore modo dicitur Deus esse unus. Alter modus est, cum significat eum, qui summum aliquod imperium aut vim, aut potestatem ab ipso vno Deo habet, vel aliqua alia ratione diuinitatis illius vnus Dei est particeps. Hinc enim ille vnus Deus, id est Iehoua, Deus Deorum dicitur, Psal. 50. v. 1.

Orthodoxus.

Aug. de Grat.
& Lib. arb.

Psal. 82. 6.

Ex. 7. 1.

Ier. 33. 16.

Ezech 48. 35.

Quod Augustinus de Pelagianis errorem suum per modos loquendi & distinctiones tegentibus dicebat; sine scrupulo haec acciperentur, si non ab illis, quorum sensus notus est, dicerentur: id de nostris etiam hisce aduersarijs Θεομάχοις dici commodè potest, quando ab initio statim distinctione hac lectori imponunt. Et si enim non inficiamur, vocem DEI nonnunquam Magistratui, interdum locis quibusdam μετανομίαν & improprie tribui, praecipue iuxta vulgata translatione, cum clarior sit textus Ebraeus, & in locis aliquib., siue illic Iehoua esse dicat: nondum tamen largimur, quando de VERO DEO sermo nobis est, diuersimode tunc & ancipiti significatione vsurpari: ita ut aliquando notet vnum DEVM, aliquando plures, quos scriptura VEROS quoq; ut volunt, DEOS nominet: quam

quam Iulianus Apostata eum alijs gentilibus *πλυθεϊαν*
 inuehere in sacras literas, confirmante Cyrillo, stude-
 bat. Itaq; peccant, 1. quod ubi de **V E R O** & proprie ita
 dicto **D E O** argumentum agit, qui **V E R V S** æternus
D E V S opponitur non solum Idolis, sed vt creator o-
 mnibus etiam creaturis, licet bonitatis suæ radios &
 nomen suum hominibus quibusdam communicet, i-
 pſi confugiunt ad distinctionem, & propria cum im-
 proprijs, hæc cum illis, creatorem cum creaturis te-
 merè commiscunt; 2. Errant etiam in descriptione **V E**
R I illius & æterni **D E I**, cuius essentiam, characteris-
 ticas & essentielles proprietates pessimè negant. **D E**
V S enim non solum ab imperio & potestate definien-
 dus, sed ab ipsa essentiali proprietate, quod Pater est
 Domini nostri **I E S V C H R I S T I** verus & essentialis,
 quem ab æterno genuit, à quo Spiritus Sanctus, vt &
 ex Filio, ab æterno procedit, &c. siue, vt libelli nostri
 Catechetici ex verbo **D E I** rectè loquuntur quod
D E V S essentia est spiritualis, intelligens, æterna,
 verax, bona iusta, casta misericors, liberrima, immen-
 sè potentia & sapientia, alia à mundi corporibus &
 creaturis omnibus; Pater æternus, qui Filium imagi-
 nem suam ab æterno genuit, & Filius imago Patris
 coæterna, & S. S. procedens à Patre & Filio: sicut pa-
 tefacta est diuinitas certò verbo & testimonijs diuis-
 nis, &c.

*Philip. in Lo-
 cis Commu-
 nibus.*

3. Errant, quòd **D E V M** faciunt vnum & mul-
 tiplicem existentia & essentia, cum expressè scriptura
S O L V M D E V M & illum solum, vnum nomis
 net, nusquam multos dicat.

4. Neq; enim **D E V S** Deorum vocatur, pro-
 pter multos alios & inferiores quosdam proprie di-

Psal. 50. v. 1.



Etos Deos: sed ob maiestatem suam, excellentem & sublimem: quia item Magistratus, Iudices & angelos hominibus nobis tanquam Deos quosdam præfecit. Immo in ipsis his tribus nominibus quibus 50. Psal. Dauid vsus est, personarum pluralitas in vnitæte essentia diuinæ indicatur: אלהים יהוה: quæ vnus DEI, qui in personis trinus est, tria nomina sunt propria.

II.

Arianus.

Hoc altero modo in ipsis sacris litteris vocatur nonnunquam Filius seu Christus, Deus. Patet totum hoc ex verbis ipsius Christi, Ioh. 10. vers. 35. Si (inquit) illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura; quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis, Quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum? His verbis Christus manifestè ostendit, nomen Dei in sanctis litteris ijs etiam tribui, qui illo vno Deo multò inferiores sunt, seq; nulla alia potiore ratione potuisse seipsum appellare Dei filium, & porro Deum, quam quia a Patre sanctificatus & in mundum missus fuisset.

Orthodoxus.

Itanè verò Ariani scriptura de CHRISTO DEO loquitur, quod sit κατ' ἀξίαν & ἐξουσίαν tantummodo non τῆς οὐσίας verus DEVS, siue quæ vestra planè est blasphemia, denominatiuus & vel officij vel honoris ergò nuncupatiuus DEVS? Itanè altero modo CHRISTVS DEVS est, quo nimirum Magistratus & Iudices Dñi dicuntur? At enim uerò Apostolus ait ipsum esse DEVM super omnia benedictum in secula: & Ioannes: Scimus, inquit, quoniam Filius DEI venit: HIC est VERVS DEVS & vita æterna. Hic est imago DEI inuisibilis, in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis Corporaliter: ipse est ante

Rom. 9. 5.

1. Ioan. 5. vers. 20.

Col. 1. 15.

Col. 2. 9

est ante omnes, & omnia in ipso constant: Ego prin-
cipium & finis, dicit Dominus, qui est, & qui erat, & Col. 1. 17.
qui venturus est omnipotens. Ego sum primus & nos Apoc. 1. 8
uissimus, & uiuus, & fui mortuus, & ecce sum uiuens Ap. 1. 17.
in secula seculorum.

Quibus testimonijs diuina & æterna Christi ma-
iestas firmè astruitur. Quia tamè ex 10. cap. Ioannis v. 35. & 36.
inter inferiores quosdã Deos, hoc est nudas & simpli-
ces creaturas, vnigenitum æterni Patris Filium collo-
cant Antichristiani: sciendum, Saluatoris uerba in ali-
enum ab ipsis torqueri sensum. Non enim Chistus eo
loco affirmat, se talem quempiam esse DEVM, cu-
iusmodi nomine tenus & officij causa uocantur quan-
doq; homines, præcipuè iudices, & quibus in alios cõ-
missa diuinitus est potestas: uerum, ut ipsa euincit uer-
borum *συνέχεια* seu contextus, *ὡς τὸ εἶλαί τον* ex lo-
co comparatorum, (ut secundum Logices præcepta
loquamur), aduersus Iudæorum obiecta, concludit se
nequaquam blasphemum esse. Si enim homines uoca-
ri possunt, approbãte scriptura, Dñ: multò magis ego
me (inquit) profitebor DEVM, ut qui uere sum
Patris æterni *συναιδι* Filius, ab ipso, (eius naturæ re-
spectu, quæ *χάρισμα* aliquod adipisci & recipere po-
tuit) sanctificatus, atq; orbì promissus & tandem mis-
sus Redemptor.

Neq; verò dicit: propterea se DEVM, quia
sanctificatus à Patre & in mundum missus: sed se te-
statur neuiquam *βλασφημεῖν*, quod ipse sanctificatus
& missus, dicatur Filius DEI, seq; ipsum ita uocari
& agnosci uelit. Quæ autem impudentia, uerba hæc
eò trahere, quò sensus non modò non genuinus, sed
contrarius insuper est: Cum non tam *τὸ διότι* cur DE
VS

V S sit, quàm τὸ ὄν: quod reuera DEVS sit ac dici
 debeat, testatū Christus grauitē in collatione ista cus-
 piuerit: nequaquam omninò se missionis vel sanctifi-
 cationis solius causa DEVM esse affirmārit. Quās
 uis ne hoc quidem modo impietati Antichristianæ
 patrocinari potest sententia, si ob sanctificationem &
 missionem statuatū & concludatur Messias verus
 esse DEVS. Nam Patrem hīc vocat suum: yt ille
 ergo æternus: ita Filium æternum, & ab æterno genitum
 esse oportet: cum in DEO nihil prius sit tem-
 pore nec posterius. Et quia sanctificatus, ac missus,
 non sui at eorum causa, quibus factus est à DEO ius-
 titia & sanctificatio, & ad quos liberandos missus est:
 idcirco non purum conueniebat esse hominem, sed
 Ἰεσοῦ θρωπῶν qui assumptæ ex nobis naturæ veram con-
 ferret sanctitatem, qua nos peccatis obnoxios purga-
 ret, imputata innocentia credentibus vniuersis, quicq;
 officium cui destinatus erat, ritè & salutariter, quod
 ne ab angelo quidem tantò minus ab homine nudo
 præstari poterat, obiret. Ac sequentia sanè confirmāt,
 quod is qui opera Patris sui facit eiusdem sit infinitæ
 æternæq; cum ipso potentia.

1. Cor. I. 30.

Ioan. 10. 37.

III.

Arianus.

Est igitur quidem CHRISTVS Deus, sed non tamen
 ille vnus Deus. Immo propterea est Deus, quia ab vno illo
 Deo (hic enim idem prorsus est, qui Pater vt postea probabi-
 mus) excellentissima ratione à cæteris segregatus & celestis
 bus donis cumulatus, salutis æternæ hominibus & annuncian-
 da & re ipsa danda prepositus fuit. Hac est enim illa ipsius
 à Patre sanctificatio & in mundum missio.

Orthod.

Vides Lectōr, quomodo à diuinæ maiestatis so-
 lio æterno CHRISTVM DEI Filium Diabolus
 lus

Ius per Arianos hosce deſicere multis ſtrophis & ἀσ-
 φοις Sophiſmatibus conetur: cui nihil, niſi nudum re-
 linquit Deitatis titulum, verumq; eſſe DEVM contra
 evidentiffima αὐτοπίστis ſcripturæ S. teſtimonia, per-
 negat. Si enim non eſt ille VNVS DEVS, eiufdem eſ-
 ſentia, gloria ac potentia cum Patre & Spiritu San-
 cto: non eſt VERVS DEVS: quia verus DEVS Deut. 6. 4.
 vnus eſt, nec eſt alius in cœlo & in terra, neq; eſt DE- Deut. 35. 39.
 VS extra & præter hunc: quemadmodum ipſe apud 2. Sam. 7. 22.
 Iſaiam: recordamini inquit, prioris ſeculi, quoniam e-
 go ſum DEVS, & non eſt ultra DEVS. Et Chriſt. Is. 46. v. 9.
 itus: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te SOLVM VE- Ioan. 17. 3.
 RVM DEVM, & quem miſiſti IESVM CHRISTVM.
 Vbi particula SOLVM opponitur omnibus ficticijs, imo
 proprijs, aut θεοποιητικοῖς Dijs, nequaquam verò ex-
 cludit Chriſtum: alioquin enim nō proximè annexiſ-
 ſet verba hæc; & quem miſiſti: quemadmodum ante
 noſtros omnes doctiſſimè & veriſſimè exponebat
 Nazianzenus, inquiens: μόνον ἀληθινὸν θεὸν, ἐπὶ οὐρανῶσιν
 ἀέρεται τῶν ἐκόντων μὲν θεῶν, λεγομένων δὲ, ἃ γὰρ αὐτὸν θεοσέκει- Serm. 2. de Fi-
 το, καὶ ὃν ἀπέστειλες Ἰησοῦν χριστόν, εἰ πρὸς ἐκεῖνον ἀντιδιήρητο τὸ, lio pag. 2. 1. 6
 μόνον ἀληθινὸν θεόν, ἀλλὰ μὴ καὶ κοινῆς θεότητος ἦν ὁ λό-
 γος. Faliſſimum verò hoc glosſema, quod Chriſ-
 tus non ob aliam cauſam DEVS ſit, quam quia à
 Patre ſegregatus & ſelectus ad annunciandam ſalu-
 tem. Hoc namq; modo Apoſtolus etiam Paulus Rom. 1. v. 1.
 DEVS fuerit, quiſe ſegregatum teſtatur ad annuncio-
 andum Euangelium, qui ipſe, ſed vt miniſter, contulit
 per verbum & Sacramenta ſalutem hominibus. At-
 qui niſiquam legimus Apoſtolum, eo quod ἀφωρισ-
 μένος fuit, DEVM eſſe dictum, vt nec alios quos vel
 ab ipſo vtero ſelegit ſibi DEVS. Quomodo ergo
 B audet

audet scelerata hominum lingua ad infimum quendam
 diuinitatis gradum abijcere eum, qui VERE, natu-
 raq; ipsa & essentia, non tantum officio & dignitate,
 quod olim Nestorius post Arium & hodie αντίρρι-
 σοι noui volunt, conuincitur esse DEVS: Neq; hic
 animaduertunt hæretici ἐναντιολογίαν siue contradic-
 ctionem: quod CHRISTVM VERVM illum æter-
 numq; DEVM negant: & tamen affirmant postea,
 præpositum fuisse & annunciandæ, & REIPSA
 DANDAÆ hominibus salutis. Si REIPSA sa-
 lutem Christus dat aut confert hominibus: iam non
 tantumodò Organum erit, cuiusmodi Petrus, Paulus,
 & qui hodie σωεργοι sunt & ministri Ecclesiæ, offeren-
 tes hominibus per verbum & Sacramenta iussu diuini
 no omnia in cœlis promissa bona: sed ipse autor &
 causa efficiens salutis, ideoq; VERVS DEVS,
 & ille VNVS DEVS, qui de seipso pronunciauit: E-
 go sum Dominus DEVS tuus, DEVM absq; me ne-
 scies, & Saluator non est præter me: quia non est alius
 DEVS, qui possit ita saluare, quod confitebatur Na-
 buchodonosor. Ac sanè oportet hunc esse verum,
 æternum, & illum vnum DEVM, qui conferre REI-
 PSA hominibus queat salutem. Ecce ergo Satanæ
 mendaci veram aliquando Veritas extorquet confes-
 sionem.

Os. 13.4
 Is. 44.6
 Dan. 3.69

IV.

Arian.

*Quod ad Spiritum sanctum attinet, is nusquam disertè
 atq; ad literam (vt dicitur) in scriptura Deus appellatur.*

Orthod.

Mentiris impie, quisquis es, Ariane, cum Anania
 Spiritui sancto: non enim mentitus es hominibus, sed
 DEO: Numquid non audis DEVM in scriptura &
 ex hac à fidelibus vniuersis appellari Spiritum, pro-

Act. 5.3.4.

pterea

pterea sanctum, quod sanctitatis autor & effector est
in nobis? Immo hoc vno verbo compesci debebat ef-
frenis linguæ petulantia. Sunt verò alia etiam clara
satis, diuinitatis & ἁγίου πνεύματος testimonia. Ete-
nim, vbi Esaias: audiui, inquit, vocem IEHOVAE
dicentis, vade & dices populo huic, audite audientes,
& nolite intelligere, & videte visionem, & nolite co-
gnoscere: Apostolus Paulus, loci huius interpres in
Actis: Bene, ait, SPIRITVS SANCTVS locutus est
per Isaiam Prophetam ad Patres nostros, dicens vade,
&c. Isaias Iehouam nominat: personam exprimit
Apostolus, tertiam videlicet in diuinis. Et audent
Ariani negare Spiritum S. qui est Iehoua, in sacris li-
teris vocatum esse *DEVM*: Paulus ad Corinthios: ne-
scitis, quia templum *DEI* estis, & Spiritus *DEI* ha-
bitat in vobis. Qui in se habitantem habet S. S. is
DEVM habet: idem enim ille verus *DEVS*, cuius
templa sumus, vt expressè scriptura confirmat his ver-
bis: an nescitis, quoniam membra vestra templum sunt
Spiritus S. qui in vobis est: glorificate & portate *DE-
VM* in corpore vestro. Vos enim estis templum
DEI viui, Sumus templum *DEI*, & sumus templum
Spiritus S. Ergo Spiritus sanctus reuera *DEVS* est.
Non huc congeram omnia ea quibus pro diuinitate
vera Spiritus sancti astruenda aduersus Pneumatoma-
chos olim vsi sunt Basilius, Athanasius & vterq; Cy-
rillus, Alexandrinus atq; Hierosolymitanus: neq; con-
firmabo prolixè, quomodo essentielles *DEI* propri-
etates Spiritui sancto passim attribuantur: officia eius
verè & merè diuina describantur. Vnum enim ex sa-
cris fideli sufficit omninò testimonium: infidelibus ne

Is. 6.7

Act. 28.25

1. Cor. 3.16

1. Cor. 6.19

2. Cor. 6.16.

B 2

multa

multa quidem. Libet tamen audire ipsos, quid de proprijs diuinis spiritui sancto competentibus statuans Neariani.

V.

Arian.

Sed tantum haud raro ea illi tribuuntur, quae Dei sunt propria, vel, quod spiritui sancto alicubi tribuitur, id aut ibidem, aut alibi Deo tributum inuenitur. Huius rei causa est, quod spiritus sanctus virtus est, atque efficacia Dei. Quod enim virtuti atque efficaciae Dei tribuitur, id sine dubio ipsi Deo tribuitur. Sed non est propterea Dei virtus & efficacia persona aliqua diuina, sicut nec Dei bonitas, aut iusticia aut misericordia, aut iudicium, alijue Dei vel effectus vel proprietates, sunt personae aliquae diuinae, alioqui multo plures etiam, quam tres, eas esse oporteret.

Orth.

Magna est vis veritatis, quae nolentes etiam cogit nonnunquam profiteri, quod nulla ratione dissimulare prorsus, ac inficiari queunt. Hic Arianos dare nobis oportuit: ipsa DEI propria tribui spiritui sancto in sacris literis: quemadmodum creatio ipsi vendicata Gen. 1. 2. Job. 26. 13. Psal. 104. 30. Psal. 33. 6. omniscentia 1. Cor. 2. 10. operatio omnium in omnibus 1. Cor. 12. 9. 10. 11. &c. regeneratio Ioan. 3. 6. sanctificatio Rom. 1. 4. viuificatio Ioan. 6. 63. resuscitatio mortuorum Ezech. 37. Immo immensus & infinitus Sap. 1. 7. aeternus Heb. 9. 14. omnipotens Esa. 40. 13. dicitur. Inde firmissima consecutio. Cuiuscumque propria DEI vere & essentialiter tribuuntur, is verus est & aeternus DEVS. At spiritui S. tribuit scriptura diuinitatis *ιδιωματα* vere & essentialiter. Ergo verus & naturam DEVS: quod oportebat Diaboli organa agnoscere & profiteri: vt seruirent nobiscum non creaturae, sed spiritui DEO, sicut loquitur Apostolus ad Philippenses, *των ὁμοίων θεῷ λατρεύοντες*, quem locum in Latinis Codicibus

Phil. 3. 3.

dicibus perfidiā τῶν δολέων λόγον θεῶ, corruptum esse, 2 Cor. 4. 2
attestatur D. Ambrosius. lib. 2. de Spir. sancto c. 6.

Quod autem aiunt spiritum sanctum esse virtutem & efficaciam DEI, non personam aliam quam: malitiosè iterum verum falsumq; consueunt. Etenim verum, quod Spiritus est virtus DEI, siue virtus ex alto: quia per Filium & spiritum sanctum Pater creauit & gubernat potenter omnia. Falsum autem, quod idcirco non sit persona. Quemadmodum enim Paralogismus ineptus est: Filius est imago Patris, & factus nobis à Patre sanctificatio, redemptio, &c. Ergo non est hypostasis: Ita ineptissimè & contra illustria veritatis s. testimonia infertur: Spiritus S. est amor essentialis inter Patrem & Filium, est ignis, est caritas. Ergo non αὐτότερον αὐτῶν, non hypostasis, non persona. Quin potius, quia est DEI virtus, & ενεργητικὴ δυνάμις, eaq; ἐσιώδης, procedens à Patre & Filio, confirmatur inde esse ὑφιστάμενον siue persona distincta à DEO Patre & DEO Filio. Nec tamen, vt παρὰ τὸ ἐπόμενον malitiosè ludunt: plures adhuc quā tres personas dari necesse est, quia sint plures DEI proprietates: hæ enim tribus communiter (excipio personales & internas quæ singulis seorsim tribuuntur: vt ἀγνησία Patri, ἁγνότης Filio, ἐκπόρευσις Spiritui sancto) non pluribus personis, cum tres tantum sint vnus DEVS, rectissimè assignantur. Quod autem Evangelica veritas Spiritui sancto propria ὑφιστάμενος attributa vendicet, planum est ex sequentibus hisce textibus. Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis, qui à Patre procedit: ille testimonium perhibebit de me. Vbi, si fontem ipsum aspicias, articulus satis euincit, quod de

Lucæ 24. 49

Ioan. 15. 26.

Hyphistameno loquatur Christus, & persona, à Patre
 & se distinctâ. τὸ πνεῦμα inquit, τῆς ἀληθείας, ὁ παρὰ τὸν
 πατρός ἐκπορεύεται. Item μαρτυρήσει siue testimonium fe-
 ret de me; arguet mundum de peccato: docebit omnē
 veritatem, loquetur, & quæ ventura sunt, annuncia-
 bit, glorificabit me: Tribuitur ipsi ^a beneplacitū, ^b pro-
 hibitio, ^c voluntas, & eius efficacia, præter actiones a-
 lias, ^d loqui, ^e docere, ^f consolari, ^g vocare ministros, &c.
 quæ omnia tantum competunt subsistenti verè Perso-
 næ, quæ distincta est à Patre & Filio, 2. Cor. 13. 13.
 Rom. 8. 39. Matth. 28. 19. &c.

VI.

Caterum vel ex eo solo, quòd Deus vnus esse apertè tra-
 ditur, meritò concludi potest, eum non esse nec trinum, nec bin-
 num. Opposita sunt enim inter se Vnus, & Trinus; siue Vnus,
 & Binus. Ita vt, si Deus sit trinus aut binus, non possit esse
 vnus. Nam distinctio ista, Vnus essentia, Trinus personis, nec
 vsquam extat in sacris literis, & cum certissima ratione ac
 veritate manifestè pugnat. Certissimum enim est, non paucis
 ores esse indiuiduas essentias, quàm personas; cum persona ni-
 hil aliud sit, quàm indiuidua essentia intelligens:

Sophisma hoc: DEVS est vnus; Ergo nec tri-
 nus nec binus: millies ferè ab Orthodoxis Christianis
 passim refutatum est: vt mirer, quomodo citra omnē
 ruborem & pudorem tam puerile, tamue anile, im-
 mò delirum somnium repetere iterum ausint Aduer-
 sarij. Vnus est omninò DEVS essentia, trinus est
 personis. At ista, inquiunt, distinctio, nec in sacris lite-
 ris vnquam extat, & cum certissima ratione ac verita-
 te pugnat. Respondeo ὡς κόρον ἔχει ἡ ἀνομοχωτία, &
 δὲ πλησμονὴ ἡ ἀφροσύνη; & qui semel verecundiæ fines
 transiit illum nauiter oportet esse impudentem.

Quanta

Ioan. 16. 8 v.

13 v. 18.

a Act. 15. 28

b Act. 16. 7

c 1 Cor. 12. 11

d Matth. 10

20

e Ioan. 15. 26

f Ioan. 14. 16

g Act. 13. 52.

Arianus.

Orthod.

Epiphan. pag
450.

Quanta enim, DEVM immortalem, impudentia,
negare quod est certissimum, nec vno in sacris loco
confirmatum. Nam quod essentia vnus sit DEVS,
patet ex 6. c. Deut. vers. 4. ex 32. c. vers. 39. 2 Samu. 7.
22. 1. Reg 8. 60. 2. Reg. 5. 15. 1. Par. 17. 20. Isa. 37. 20. 43. 10.
Dan 3. 96. Mar. 12. 29. 1. Cor. 8. 4. Eph. 4. 5. quæ omnia
& singula loca discrete testantur DEVM vnum
ESSSE: ac proinde vnam DEI essentiam non plu-
res probant.

Quod autem DEVS trinus sit personis, suffi-
cienter confirmat Christi vox vbi iubet baptisari in *Matth. 28*
nomen Patris, Filij, & S. S. sicut Ioannes quoque: Tres *19*
sunt, qui testimonium perhibent in cælo, Pater, Ver- *1 Ioan. 5. 7*
bum, & Spiritus sanctus, & hi TRES VNVM
sunt: vel quod idem, tres hæ personæ sunt vnus DE-
VS. Etsi autem ab Arianis sententia hæc fuit olim
expuncta, legitur tamen in vetustissimis quibusque ex-
emplaribus, Rhodiensi, Britannico, Complutensi: vin-
dicatur ab Hieronymo, immo ab ipso Apostolo, qui *in præfat.*
passim in Euangelio suo trium horum testium memi- *Can. Epist.*
nit: & sequenti mox versu, quo tres in terra testes ex- *Ioan. 5. 37. 8*
hibet, sanguinem, aquam & spiritum, Diuinitatis tres *14. 15. 26*
personas, notante Augustino, representat, subdens, *August. ad-*
testes illos tres vnum esse: quod minime diuersis illis *uers. Maxim.*
tribus conueniret rebus, nisi representaretur in di- *Arian lib. 3*
uinis essentia vnitas, & personarum Trinitas. *6. 14.*

Nec vero hæc distinctio, quæ scripturæ ipsius
est, vt ostensum, cum sana, inque obsequium Christi
tracta ratione pugnat, quantumuis Arianorum & in-
fidelium ratio eam non assequatur. Etsi enim myste-
rium hoc credere, non querere, mirari non rimari nos
conuenit: exemplis tamen vtcunque adumbrari ac pingi po-
gi po-

gi potest, quibus olim vſa eſt antiquitas: vt quod vna
animæ eſſentia, & tres tamen facultates ſiue operati-
ones eiſdem, *θυμική, πνευματική, λογική*: quod vnus τῆ
ἑσσία Sol, & radius tamen, lumen & lux ipſa ſolis diffe-
rant: quæ exēpla à luſtino Martyre, Auguſt., atq; alijs
uſurpata, valent κτ̄ π, & κτ̄ πάντα: quatenus nempe o-
ſtendunt, in vna eademq; eſſentia tres eſſe diſtinctas
facultates & ἐνεργείας: at minimè pares has & ſimiles il-
lis, quæ ſunt in diuinitate hypochtaſes ſiue perſonæ.

Cum certiffimū dicunt, non pauciores eſſe indiui-
duas eſſentias, quam perſonas, eo quod perſona nihil
aliud ſit, quam indiuidua eſſentia, intelligens: produnt
ſatis, quam in comminſcendo & conſingendo ſint
non dico felices, ſed audaces.

Nam & definitionem nouam perſonæ commen-
ti ſunt, & nouam locutionem, quod perſonam vocant
eſſentiam indiuiduam. In Scholis longo iam tempore
perſona, ex Boëthio fortè, definitur, indiuiduum ſubſi-
ſtens, intelligens, incommunicabile, non ſuſtentatum
ab alio: non autem eſſentia indiuidua: alioquin indi-
candum prius, quamnam indiuiduam dicerent eſſen-
tiam, quam verò diuiduam: Cum ne Græci quidem
πολύλογοι ita locuti vnquam videantur, quibus τὸ καθε-
κασον eſt, τὸ ἄτομον, quod Latinis indiuiduum, non ἄτο-
μῶ ἑσσία vel ἀδιαίρετῶ: nec niſi ab Arianis Polonicis
noua hæc in ſolem producta ſubtilitas. Quod ſi indi-
uiduas eſſentias pro indiuiduo accipi volunt, admittis-
mus ſanè, non pauciores eſſe, indiuiduas, vt loquuntur
eſſentias, quam perſonas: hoc eſt, tot in diuinis eſſe in-
diuidua, quot ſunt Perſonæ. Sunt autem tres Perſonæ,
vt im-

Boeth. de du.
ab. nat. in
Chriſto.

ut immota docuit & sempiterna oraculorum coelestia
veritas. Ergo tria etiam individua siue ὑφιστάμενα, non
plura, nec pauciora.

VII.

Iam, quod hic vnus Deus non alius sit, quam Pater Do-
mini nostri Iesu Christi, non etiam Dei filius, & Spiritus
sanctus, probatur aperte pluribus modis, atq; his praecipue. Ariani.

Primum, ut ostensum fuit, si Deus vnus est, non potest
esse trinus, aut binus. Constat autem inter omnes, & scriptu-
ra passim testatur, patrem Christi esse ipsum Deum. Sequi-
tur ergo necessario nullum alium, quam patrem Christi, esse
hunc vnum Deum.

Ἀρσενικόν illum & λίαν φορτικόν λόγον, (cuiusmodi Orthod.
Melissi & Parmenidis argumentum, quo Ens non
posse vnum & multa dici contendebant, Philosophus
vocat,) subinde tanquam Coccysmum repetūt: quod,
quia vnus sit DEVS, propterea non binus, aut trinus:
Cum stoliditas illa humanae rationis iam ante detecta
pateat. Sed nouas ecce argutias? Scriptura passim te-
statur, Patrem Christi esse ipsum DEVM. Ergo, infer-
runt, Pater Christi non alius, est vnus DEVS. In qua
lutela quis non deprehendat fallaciam *παρὰ τὸ μὴ αἴτι-
ον*. Neque enim quia Christi Pater, DEVS est: ideo
Spiritus sanctus, ideo ipse filius, DEVS non est.
nec, quia Pater Christi DEVS est, propterea est vnus
ille Pater DEVS. Aliud namque vnum esse DE-
VM: aliud, vnum Patrem esse DEVM: altero essen-
tia, altero significatur persona. Vnus DEVS, vnita-
tem essentiae: vnus Pater, personae huius ab alijs dua-
bus distinctionem indicat. Quam absurdè quantum-
uis veteratorie, modò ad subiectum, modò ad prae-
dicatum

catum rō vnus trahunt: vt quia est nomen ὁμῶνυμον,
hac ratione incautioribus imponant.

Matth. 3. 17

Eph. 1. 6.

Hebr. 1. 3

Colos. 1. 15

Ex antecedenti verò, Pater Christi est vnus DE-
VS, sequitur potius, Christum quoq; Filium Patris,
vnum illum vnumq; cum Patre & Spiritu sancto
DEVM esse, siquidem, non adoptiuus tantum sed
naturalis filius est, ἀγαπητός ille, in quo nos sumus κε-
χαρισμένοι. essentialis character personæ eius, splen-
dorq; gloriæ, & imago DEI inuisibilis. Quod cum
pijs extra omnem dubitationem firmum certumq;
sit: concludimus, & Patrem esse DEVM, & Filium
DEVM, & qui ab vtroq; ab æterno procedit, Spirit-
tum sanctū reuera esse DEVM: idq; negare nullus,
nisi cum complicibus suis solus audeat Ἰερέξθαι, Sat-
tanas.

VIII.

Arianns.

Deinde ex illis ipsis locis, in quibus expressè traditur,
Deum esse vnum tantum, non pauci sunt, vbi dicitur, hunc v-
num Deum esse patrem illum omnium, vel patrem Iesu Chri-
sti. Iohan. enim cap. 17. vers. 3. Christus ipse dicit, patrem su-
um, esse illum vnum solum verum Deum, etiam respectu sui.
Seipsum namq; ibidem nominat, atq; à Patre distinguit, &
quidem ita, vt non possit dici, illum loqui de se secundum hu-
manam naturam tantum. Nam eatenus se nominat, quatenus
ipso cognoscendo vita æterna continetur, quod ad totum
Christum, quantus quantus est, referendum omnino esse, net
mo non videt. Etenim, quòd quidam olim Christi verba ita
accipienda censuerunt, vt intelligatur, Patrem, & Iesum Chri-
stum esse illum solum verum Deum; reiectum est hodie hoc
ab ipsis ferme omnibus Trinitarijs, cum propter id, quòd nec
verborum structura, nec locus ipse id ferre videtur, tum verò,
quòd Spiritus sanctus hac ratione ab illa sola vera diuinitate,
que

que ad vitam æternam consequendam cognitiu necessaria est,
non obscure excluderetur.

Ad secundam hanc hæreticorum rationem su- *Orthol.*
pra aliquid responsum: idē hic repetatur: Particulam
nempe, *μόνον* in dicto Christi, tantum opponi fictitijs
numinibus & Idolis, quæ non sunt verus, siue *ἀληθινὸς*
θεὸς nequaquam autem excludi Filium, qui *σωαπικῆ*
particulâ (*καὶ*) se quamproximè coniunxit, seque missum
affirmauit à Patre, cum quo fuit ab æterno, vt volun-
tate eius, assumtâ carne nostra, nobili saluandorum
mortalium prouincia in mundo defungeretur. Et qui
excludi potest Christus ab vnitate essentiæ diuinæ,
cum hæc sit vita æterna vt cognoscant homines solum
DEVM, & qui missus est, Christum? Christus autē
ipse vita est æterna: quod restatur Ioan. i. ep. 5. c. sci- *vers. 26.*
mus, quoniam Filius DEI venit, & dedit nobis sen-
sum, vt cognoscamus verum DEVM, & simus in
vero filio eius. Hic est verus DEVS, & vita æter-
na: In Græco manifestè relatiuum *ἐστὶν* ad Filium re-
fertur: *ἐστὶν ἐν τῷ ἀληθινῷ, ἐν τῷ ἡῶ αὐτῶ Ἰησοῦ χριστῷ. ἔ-*
στὸς ἐστὶν ὁ ἀληθινὸς θεὸς, καὶ ἡ ζωὴ αἰώνι. *vers. 11, 12*
sicut idem Apo-
stolus supra: dedit nobis DEVS Vitam æternam,
& hæc vita in filio eius est, qui habet filium, habet vi-
tam, &c. Audiant ergo eundem suiipsius interpre-
tem Ioannem, & desinant maledicere quod à Trinita-
rijs (ita Orthodoxos & pios Sacrosanctæ atque adorandæ
Trinitatis confessores appellitant) intellectus iste
sanus reiectus sit: quod structura verborum alium
sensum postulet: & quæ his similia ab ipsis profemi-
nātur nullo fundata scripturæ nexu nulla probatione.
A diuinitate vera excludi etiam non potest Spiritus
sanctus, cuius agnitio vitam nobis affert æternam,

C 2

qui



qui nominato Patre & Filio in Biblijs perpetuo sub-
intelligitur: immò, ipse auditur, vt testis & præco: quã-
do quidem à Spiritu sancto qui est DEI digitus, &
per Prophetas atq; Apostolos loquitur, scriptura S.
proficiscitur. IX.

Arian. Locus item 1. Cor. 8. vers. 6. aperte docet, vnum illum
Deum nostrum, esse Patrem illum, ex quo omnia, & nos in
illum, illum (inquam) Patrem, qui à Christo distinguitur, qua-
tenus Christus est ille vnus Dominus, per quem omnia, & nos
propter illum. Ita vt quemadmodum in superiore loco, hic quo-
que nullo modo possit dici, de Christo verba fieri secundum hu-
manam naturam tantum. Similiter in loco, Ephes. 4. vers. 6.
vbi vnus Deus esse dicitur, disertè etiam simul affirmatur, i-
stum vnum Deum esse patrem omnium, isq; aperte à Christo
distinguitur, quatenus Christus est vnus Dominus.

Orth. Locus ex priore ad Corinthios epistola, quàm
miserè discerptus & ab hereticis lancinatus. Ita Apo-
stolus. Nobis vnus DEVS, Pater ille, à quo omnia;
& nos in ipso: & vnus Dominus IESVS CHRI-
STVS, per quem omnia & nos per ipsum.

Hic multis Dñs & multis Dominis, opponit v-
num DEVM & Dominum: eumq; vocat Patrem
& CHRISTVM: non quod Pater solum DEVS
sit, Filius non sit: quomodo enim per filium omnia ef-
sent facta? quomodo Thomas Apostolus vocaret ip-
sum DEVM & Dominum? Apostolus Paulus
DEVM benedictum vel laudandum in secula? Nec;
quod CHRISTVS sit tantum Dominus, Pater
non sit Dominus: quomodo enim innumeris in locis
xvi. & Adonai diceretur. Itaq; rectè Ambrosius: Sic
vt dicendo, Iesum vnum Dominum non negauit Pa-
trem esse Dominum, sic dicendo Patrem vnum DE-
VM,

V M, non negauit Filium esse DEVM. Ac placet
Tertulliani sententia, siue malis dicere regulam, aduer-
sus Praxeam, Deos non dicam omnino, nec Dominos,
sed Apostolum sequar, vt si pariter nominandi fue-
rint Pater & Filius, DEVM Patrem appellem, &
Iesum Dominum nominem. Solum autem Christum
potero DEVM dicere sicut idem Apostolus. Nam
& radium solis seorsim solem vocabo, solem autem
nominans, cuius est radius, non statim & radium so-
lem appellabo. Pater est fons diuinitatis itaq; κατ' ἐξο-
χλῶ Pater ille, vnus DEVS vocatur, quia nimirum
essentiae diuinæ in Filio & Spiritu sancto origo est, &
vt Dionys. loquitur, πηγὴ θεότης. Proinde locus hic
inter alios clarissimus est, ad ὁμοσίαν καὶ ἰσοδυαμίαν
Patris ac Filij demonstrandam: conuincens Christum
secundum vtramq; naturam Dominum: diuinam qui-
dem ab æterno: humanam verò, in tempore vt Petrus
ait, factum. Act. 2. 36.

In dicto ad Ephes. 4. Vnus Dominus, vna fides,
vnum baptisma, vnus DEVS & Pater omnium
qui est supra omnia & per omnia & in omnibus vo-
bis: minime sic distinguitur Christus à Patre: vt hic
DEVS, ille Dominus saltem sit: sed Apostolus ad
veram vnitatem adhortatus Ephesios, ostendit, quo-
modo vnum tantummodo DEVM & Dominum
colamus, atq; ad vnam fidem in S. baptismo astringamur:
hoc argumento extimulans & mouens ipsos ve-
hementer. Hunc autem DEVM & Dominum vo-
cat Patrem omnium, totam diuinitatis ἑστίαν Patris no-
mine κατ' ἐξοχλῶ iterum complexus: quemadmodum
Cyrillus in Ioanne multoties obseruauit, Patris voca-
bulum ἑσιωδῶς non ὑποσηπτικῶς haud infrequenter v-
surpari. C 3 Præ-

Resp. Ari.

Præterea ad probandum, quod pater tantum sit ille unus Deus, inexpugnabilis ratio videtur, quod millies simplici Dei nomine, quando subsistentiam ipsam significat, Deus tantum Pater certissime intelligitur; quemadmodum Aduersarij ipsi omnes fateri sunt coacti. Numquam autem, cum prædicta ratione, simplex Dei nomen est positum, solus Christus seu Filius, solusue Spiritus sanctus aperte ac citra omnem contro- uersiam significatur. Nam etsi Christus nonnunquam, ut dictum est supra, Deus appellatur, tamen tunc Dei nomen subsistentiam ipsam non significat, sed subsistentia tantum attributum: seu mauius, tunc Dei nomen non subiecti, sed præd- icati locum obtinet. Nusquam enim in diuinis litteris inuenies scriptum, Deum aliquid vel fecisse, vel dixisse, aut de Deo quid- piam aliud affirmari, quod ad Christum à Patre distinctum sit omnino ac necessariò referendum.

homil. 67. in Matth.

Tertia ratio præter ψ & δ nihil in se habet, cuius patroni perinde iuxta Chrysoft. facere viden- tur, ut qui putres parietes albo tectorio illinunt; ita e- nim adumbrata quadam veritatis similitudine men- dacium hucusq; commendarunt. Falsum autem quod simplex DEI nomen TANTVM DEVM Patrem si- gnificat: reclamante ipso statim scripturæ S. initio, ubi dicitur Elohim creasse coelos & terram: quod no- men non Patri tantum, sed & Filio Psal. 45. 7. Iob. 33. vers. 4. & Spiritui sancto, immò toti Triadi, verè tri- butum est: sicut vox Iehoua Christo etiam ascribi- tur. 2. Falsum & hoc, nusquam solum Filium, dici DEVM simplici nomine. Numquid enim nō Iehoua est, qui apud Zachariam, aspicient, inquit ad me, quem confixerunt: sicut Ioannes de CHRISTO interpre- tatur, an non ascendit DEVS in iubilo, Dominus, Domi-

Es. 8. v. 13.
Es. 6. ve 1.
Ioan. 12. v. 41
Ier 23. 6.
Zach. 12.
v. 10.
Ioan. 19. 37.

Domini excelsus Psal. 47. 3. *DEVS* sanguine suo redemit Ecclesiam: In quibus testimonijs nefas est profecto, cum Sabellianis & Patropasianis dicere *DEVM* Patrem transfixum Patrem ascendisse, Patrem sanguine suo Ecclesiam redemisse: & simplex tamen *DEI* nomen positum vides, at determinans mox personam in sancta Trinitate quæ pati, ascendere, redimere Ecclesiam potuit & debuit. 3. Unde & horum verborum manifesta fit falsitas, quod dicunt, *DEI* nomen nunquam subiecti, sed prædicati saltem obtinere locum in locutionib. de *CHRISTO*. An non subiectum est *DEVS*, attributum, ascendit: item subiectum *DEVS*, prædicatum redemit Ecclesiam sanguine suo in allegatis textibus. Quam effrons ergo aduersariorum audacia? Certè non attributum subsistentiæ, sed ipsum *ὁ υἱὸς ἁπλοῦς*, siue secunda persona diuinitatis ostenditur. 4. Et hoc falsissimum, nusquam inueniri, *DEVM* aliquid fecisse, aut dixisse, quod ad *CHRISTVM* à Patre distinctum necessario sit referendum. Psal. 2. dicit *DEVS* Pater: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hic utiq; alius Filius est, cui dicit alius, qui dicit: huius gignere, illius genitum esse: *DEVS* misit Filium | *S V V M* Gal. 4. tradidit ipsum pro nobis Rom. 8. necessario distinguendum inter missum & mittentem, non κατ' ὁμοσίαν ἀλλ' ὑπόστασιν. Quod si verè creditis Christum à Patre non distinctum actionibus & operibus merè diuinis, quæ impudentia negare adhuc ὁμοσίαν. Sed seiungitis essentiam, & personas, maiorum vestrorum more confunditis & commiscetis ad ingenij vestri ludibundum arbitrium.

Adde

XI.

4. Ratio. Ar.

Adde quod, cum Christus, ut reuera est, sic passim ap-
pelletur Dei filius, Spiritus autem sanctus, Dei Spiritus, &
sine dubio is Deus, qui in eiusmodi locis nominatur, sit ille v-
nus Deus; sequitur, nec filium, nec Spiritum sanctum esse il-
lum unum Deum. Alioqui filius esset sui ipsius filius, & Spi-
ritus sanctus sui ipsius Spiritus.

Quarta aduersariorum ratio, inepta est cauilla-
tio, inde nata, quod nondum didicerunt, quomodo
CHRISTVS sit DEVS, & DEI Filius: Spiritus sanc-
ctus sit DEVS, & DEI Spiritus. Nomen enim DEI
bifariam vsurpari, ἡ ἑσπεριανὴ καὶ ἡ ἡμερικὴ, vel è mille
locis scripturæ & patrum expositionibus notum est.
Cum dico: CHRISTVS est DEI Filius, nemo inter
bonos ita hebes est, qui non Christum DEI patris Fil-
ium vocari audiat: nam ideo ipse verus DEVS, quia
verus & naturalis DEI patris Filius: quemadmodum
Spiritus sanctus DEI hoc est, DEI patris, & DEI Filij
Spiritus passim nominatur: vt Matth. 10, v. 20. Gal. 4.
6. quia ab utroq; procedit, & utriq; est ὁμοούσιος. Pro-
inde valeant Empectæ, quibus ludum hunc vetus ille
inferorum Ludio siue Histrio saltat, ipsis persoluturus
tandem Callisteia.

XII.

3. Ratio. Ar.

Quod si certissimum est, Christum esse illius vnus Dei
filium, certissimum quoq; est, Patrem, filium, & Spiritum
sanctum simul, non esse illum unum Deum, sed Patrem tan-
tùm; cum Patris filij, & Spiritus sancti simul non sit Christus
filius, sed Patris tantùm.

Ex eodem malitiæ ac peruersitatis fonte pro-
gressa etiam est quinta Calumnia, quod quia Christus
est vnus DEI Filius, oporteat vnum DEVM tantum
esse

esse Patrem. Malitiosè dissimulant iterum & reticent,
quod CHRISTVS VNIVS DEI, nempe PATRIS FIS-
lius est vnigenitus, à quo, sicut à Deitatis fonte ipso
Patre ab aeterno procedit Spiritus sanctus aeternus
verusq; cum vtroq; DEVS. Ita accipiunt indifferēter
& confusè essentiam atq; personam, quia abscondi-
tum hoc est ab ipsorum oculis mysterium, oculis non
vident, corde non intelligunt. Ioan. 12.

XIII.

Iam si quis est, qui ob ea, quae Christo in diuinis litteris
tribuuntur, magnificentissima omnino & maxime sublimia, ^{Ariano}
dubitet, an ipse sit ille vnus Deus, aut saltem eiusdem cum i-
pso essentia, is cōsideret, nihil vel magnificentius vel sublimius
Christo in scriptura tribui, quàm diuinū cultum ei ab homini-
bus debitum. Sed hoc vt homo, à Deo patre Christus habuit.
Igitur nihil inueniri poterit Christo diuinis testimonijs tribu-
tum tam magnificum tamq; sublime, quod, nisi aliud obstet,
quàm rei magnificentia & sublimitas, illi, vt homini, conue-
nire non possit. Quod autem diuinus cultus Christo ab o-
mnibus debitus, illi, vt homini, à Deo patre sit constitutus, pro-
bant primum verba ipsius Christi. qui apud Iohannem cap. 5.
vers. 22. & 23. ait, Patrem non iudicare quemquam, sed o-
mne iudicium filio dedisse, vt omnes honorificent filium, sicut
honorificant patrem. Vnde apparet, ex iudicio à Patre filio da-
to consequi cultum diuinum illi ab omnibus debitum. Atqui
hoc iudicium Patrem filio, vt homini, dedisse, testatur ibidem
ipse Christus paulò post vers. 27. cum ait Patrem dedisse Filio
potestatem iudicium faciendi, quia filius hominis est. Deinde
hoc idem probant verba Pauli Apost. ad Philip. cap. 2. vbi de
exaltatione Christi agit propter ipsius obedientiam vsq; ad
mortem crucis. Inquit enim vers. 9. & deinceps, quòd propter
istam obedientiam Deus illum tantopere extulit, vt in nomi-
D ne Iesu

ne Iesu debeat omne genu flecti. quod quid aliud est, quam diuinum cultum ab omnibus illi deberi? Atqui certum est, Iesum, vt hominem, praedicta ratione fuisse exaltatum. Obedientia enim vsq; ad mortem crucis in ipsum hominem tantum cadit, & ex ipsis Pauli verbis liquidò constat, eum ipsum planè fuisse exaltatum qui vsq; ad crucis mortem obediens fuit.

Orthod.

Iohan. 5.

Phil. 2.

Iohan. 17. 5.

Hucusq; impugnare conati sunt aperte veram aeternamq; CHRISTI Diuinitatem. Iam in Angelos lucis transformantes se, ne purum nudum hominem credere videantur, creatam & finitam, hoc est fictam quandam ipsi tribuunt θεότητα: ob cultum videlicet diuinum atq; honorem, quem ipsi tribuerit pater, iudicium, quod à patre vt filius hominis habeat: exaltationem, quæ secuta sit eius vsq; ad crucem, obedientiam. Sed insigni admodum fraude χαρίσματα siue dona in tempore CHRISTO καὶ τὸ ἀνθρώπινον, vt Ecclesia Orthodoxa loquitur, collata à Patre, nec tamen omnia recensent: ea quæ Christus ab aeterno habuit, vniuersa prætereunt. Certè in prece ista προσευχῆν Filii DEI glorificari se rogat, non ea gloria, quam accepturus erat primum post mortem vel acceperat in tempore, sed quam habuit ab aeterno. Pater, ait, glorifica me apud te ipsum ea gloria, quam habui apud te priusquam hic mundus existeret, hoc est interprete Theophylacto: δόξασον τῷ ἀνθρώπινῳ φύσιν μου, τῷ νῦν ἀπμαζορδύλῳ, τῷ σαρωθησορδύλῳ, καὶ ἀνάγαγε ταύτῃ εἰς τῷ δόξαν ἣν εἶχον παρὰ σοὶ ἐγὼ ὁ λόγος καὶ ὁ υἱός σου πρὸ τοῦ κόσμου εἶναι. συνεκάθισε γὰρ τῷ ἀνθρώπινῳ φύσιν ἐν τῷ θρόνῳ τῷ βασιλικῷ καὶ προσκυρεῖται νῦν ὑπὸ πάσης τῆς κτίσεως. Humanam meam glorifica naturam, quæ nunc contemnitur & crucifigitur, & euehe eam
in glo

in gloriam quam habui apud te Ego Verbum & Filio
 us tuus, priusquam mundus esset. Collocauit enim si-
 mul naturam humanam in throno maiestatis, & ado-
 ratur nunc ab omni creatura. Ecce, εἶχον inquit, Habui
 non decreto, consilio aut prædeltinatione, vt nugantur
 Aduersarij, sed τῆ φύσει natura: quia omnia, vt paulo
 post inquit, tua sunt: antequam Abraham erat, ego
 sum: fui priusquam conderentur colles & montes.
 Cultus diuinus non demum Christo tributus, cum
 iuxta humanitatem Dominus fieret & Iudex vniuerso-
 rum, sed sicut iudicandi potestatem, vt *DEVS* sem-
 per habuit vt homo accepit in tempore: ita adoratio-
 nis cultū vt verus patris σὺν αὐτῷ *DEVS* in Vet.
 quoque testamento & semper obtinuit à creaturis: vt
 homo siue iuxta assumptam carnem accepit, cum in or-
 bem terrarum μετὰ σαρκὸς induceretur hoc patris man-
 dato, vt adorent eum omnes Angeli *DEI*, cum, vel in
 carne, iuxta veterum constantem & germanam ἐρη-
 νείου, de qua vide Oecumenium. Ante solem enim per-
 manet nomen eius, & erit nomen eius in secula. In ve-
 teri testamento adoratur hic *DEI* filius in carnem
 venturus ab Abrahamo, à Iosua, à Manoë, ab Ezech-
 iële, à tota Ecclesia Israëlitica. Immo, vt homo adorari
 non posset, nisi verus simul & æternus *DEVS* esset.
 quia expresse scriptum: Dominum *DEVM* tuum ad-
 dorabis, & illi soli seruias. Tribuitur autem ipsi adora-
 tionis cultus vt homini, propter arctissimam vni-
 uersalem & quia carnem assumptam euexit εἰς ἴδιον ὕψος ad
 propriam suam celsitudinem, vt Nyssenus loquitur.
 Neque ob exaltationem modò quæ resurrectionem
 consecuta sit, adoratur: sed quia ἐν μορφῇ θεῶν ὢν in for-
 ma *DEI* existens, æqualis *DEO* maiestate & gloria

v. 10.
 Ioan. 8. 58.
 Sap. 9. 9.
 Prov. 8. 22.
 24.
 Gen. 12.
 Ioan. 5.

Hebr. 1. 6.
 Psal. 72.
 v. 17.
 Gen. 18.
 Ios. 5.
 Iud. 13.
 Ezech. 43.
 1. Par. 29.
 Deut. 6.
 Matth. 4.

SEIPSVM exinanivit forma serui assumpta, factus
obediens Patri vsq; ad mortem crucis: propterea ex-
altatus est, vt in nomine ei' omne genu flectatur: hoc
est, qui vt **VERUS DEVS** eundem cum Patre honorem
& dignitatem tenuit, vt homo exaltatus, vna & eadem
religiosa adoratione iam colitur à superis & inferis,
& sic iuxta vtramq; naturam inuocatur: diuinam, iure
sibi debito, vt omnes honorent Filium, **SICVT**, ho-
norant Patrem, sicut, id est, eodem iure, merito, & de-
bito: humanam, ob gratiam vnionis.

XIV.

IOAN. 5. 23.
Vide Theo-
phyl.

Arian.

*Breuitè nihil tam vel sublime, vel demissum est in sa-
cris litteris Christo tributum, quod ad hominem illum Iesum
Nazarenum propriè non pertineat. Quare nulla causa fuit,
in vno & eodem Christo duas naturas, id est essentias, commi-
niscendi, diuinam, & humanam, & cum excellentia Patris
supra Christum in sanctis litteris clarissimè consignata osten-
ditur, ad distinctionem istam confugiendi, diuinæ, & huma-
næ naturæ; ac dicendi, quòd tunc non secundam diuinam, sed
tantum secundam humanam Christi naturam scriptura lo-
quitur. Vt, cum ipse Christus ait, Patrem se maiorem esse, Ioh.
han. 14. vers. 28. cum fateatur, Filium ignorare futuri diuini
iudicij diem, & horam, sed Patrem solum illam scire, Mar. 13.
vers. 32. cum, iam à mortuis excitatus, Patrem non minus su-
um, quàm discipulorum Deum esse testatur, Iohan. 20. ver. 17.
quòd idem, iam in cælum translatus, & planè glorificatus af-
firmat quater in vno versiculo. Apoc. 3. vers. 12. cum deniq;
ne singula recenseam, suam doctrinam, sua verba, sua signa,
sua opera omnia, vnà cum auctoritate ac potestate sua, Deo pa-
tri accepta refert, adeò, vt alicubi non sua, sed eius esse dicat,
qui ipsum miserat, id est Patris. Vide Iohan. 5. vers. 19. 20. 22.
23. 27. 30. 36. & 42. & cap. 7. vers. 16. & cap. 10. vers. 25.
& cap.*

*Et cap. 17. vers. 2. Ut Pauli, & aliorum Apostolorum innu-
mera pene testimonia omittam, quibus evidentissime hæc Pa-
tris supra Filium eminentia confirmatur.*

Sed quorsum dum breuiter longa multaq; spar-
sistis mendacia, properastis ita: nisi vt fallaci ore, diuini-
nam **C H R I S T I** naturam, quæ est ab æterno, negare-
tis, & nihil tam sublime, tam magnificum in sacris li-
teris **C H R I S T O** tribui pronuntiaretis: quod ad ho-
minem illum **I E S V M** Nazarenum **P R O P R I E**
qua nempe homo vobis nudus, non pertineat. Per-
tinetne quæso **P R O P R I E** ad nudum hominem,
Christum, quod est antequam erat Abraham, cum
2022. annos post Abrahamum è virgine nasceretur?
quod est in principio, ante omnes creaturas, qui in
quarto mundi millenario demum natus est homo.
Iamne tunc etiam homo fuit verus, cum loqueretur
in veteri testamento Patribus. Estne **P R O P R I V M**
hominis esse Iehouam, **D E V M** fortem, Patrem æ-
ternitatis, immensæ, infinitæ, increatæ potentiaæ essen-
tiaæ & maiestatis: quæ omnia Filio **D E I** scriptura
verissime ascribit? Ecquis verò mortalium **C O M-
M E N T V S** est duas in **C H R I S T O** naturas? Omnis
perfectò Hagiographia duplicem **C H R I S T I** natu-
ram insinuat, atq; luculenter cõfirmat: id quoq; di-
scrimen, quod alia tribuuntur **C H R I S T O** iuxta hu-
manitatem alia secundum diuinitatem nostrum non
est, at ipsius scripturæ. Quod confirmari & cognitum
dari potest. Cum enim Christus diceret, Patrẽ se ma-
iorem esse, alibi dixerat se & Patrem vnum esse.
Vnde diuersitas ista, nisi quia diuersæ & distincte sunt
naturæ: ita vt æqualis sit Patri secundum diuinitatem,
minor Patre secundum humanitatem, quemadmo-

D 3:

dum

Orth.

Rom 9.
Es. 9.

Ioan. 14. 28.
Ioan. 10.
v. 30.

cap. 25.

Ioan. 10.
& 17.

dum in Symbolo Athanasiano profiteamur. Marc. 13. negat Filium hominis scire diem iudicij & modum tamen formamq; omnem disertè exponit apud Mat. thæum: inq; Actis Apostolicis, non negat scire se, sed non est vestrum inquit, nosse tempora, &c.

Quà DEVS ergo nouit omnia: quâ homo non item, præsertim in statu humilitatis. Ioan. 20. & Apoc. 3. Patrem vocat DEVM suum: alibi parem se & æqualem ostendit. Itaq; ad naturarum ipse distinctionem & statum τῆς κενώσεως respicit: quemadmodum Apostolus quoq; Philipp. 2. satis testatur, quod cum æqualis DEO Patri esset, factus sit tamen obediens vsq; ad mortem, & subiecerit seipsum Patri; quæ tamen subiectio æqualitatem potentia & essentia neutiquam sustulit: sed diuersitatem status & conditionis isto tempore adeoq; distinctionem duarum in Christo naturarum manifestè innuit. Eminentia Patris nulla alia notatis confirmatur locis, quam quæ est respectu assumptæ naturæ, cuius causa Filius minor est: immò constat, OMNIA, quæcunq; facit Pater, Filium facere pariter, quæ verus nimirum cum Patre DEVS est. Ex Apostoli verò testimonijs Sole ipso clarior fieri potest Filij & patris æqualitas. vt Psal. 2. 1. Ioan. 5. 20. 1. Ioan. 1. 3. Hebr. 1. 2. 5. Apoc. 1. 6. Rom. 1. 4. 8. 32.

XV.

Arian.

Quamquam, cum viderent Aduersarij, in multis ex prædictis testimonijs eiusmodi verba esse, quæ ipsa per se secundum humanam Christi naturam nulla ratione accipi posse existimabant, duo alia refugia quæsiuerunt; Vnum, quòd testimonia ista ad æternam generationem referantur, per quæ Filius à Patre illa habuerit, quæ ibi commemorantur. Alterum,

rum, quod per figuram quandam sermonis, quæ Idiomatum communicatio appellatur, quod vnius tantum naturæ est, alteri separatim tribuatur.

Verum oportebat prius, quam mirabili hac ratione sacra testimonia interpretarentur, istam æternam generationem, istamq; duplicem Christi naturam aperte ex alijs probasse. Alioqui simplici istarum rerum negatione interpretatio ipsa meritissimo reijci, ac confutari potest.

Sunt omnino ex locis supra ab aduersa parte allegatis, quæ ad humanitatem Christi proprie siue per se non referuntur: cuiusmodi hoc, quod cum Patre semper operatur, quæcunq; ille facit, hæc etiam Filius pariter facit: vnde diuina certè, *συναιδι* & *ἰσδιωμία* siue *ἰσενεργία* docetur. Minimè tamen à nobis quæsitum hoc est refugium, vt ad æternam Christi generationem, aut Idiomatum communicationem sponte nostra, sine vestigijs scripturarum abiremus: sed sanctè præscripta nobis in oraculis cœlestibus piè ac fidelitèr amplectimur. Vultis probari? Prophetæ verba hæc: Generationem eius quis enarrabit, tota penè antiquitas, de æterna CHRISTI generatione exponit. Iren. lib. 2. c. 47. Aug. de consensu Euangelist. lib. 2. c. 1. in Natal. Domini ser. 3. Nazian. orat. 3. de Theolog. Hilar. lib. 2. de Trinit. Cyrill. super Ioan. c. 3. Hieron. super Es. 53. Sed quia Hieronymus de partu virginis quoq; accipi posse confirmat, quod & is difficulter exponi queat: adduco vobis textum Micheæ 5. v. 2. qui cum de Filio DEI in Bethlehem nascituro vaticinaretur: Et egressus eius, inquit, ab initio à diebus æternitatis. Quod sanè testimonium æternæ Christi generationis adeò clarum, vt ne ab infidelibus quidem Iudæis everti possit. Prætereo ea quæ Ioan.

Orthod.

Ioan. 5. 17.
& 19. 7.

Es. 53.

Li. V. 10.

Ioan. 3. 16.

1. Ioan. 4. 9.

Rom. 8. 32.

Ioan. 7. 29.

Vide August.
contra Felicianum.

Es. 43. 10.

1. v. Ioan. 8. v. 58. Col. 1. 17. & 18. Apoc. 1. v. 8. & alibi leguntur, ac nisi tenebris humanae infidelitatis obducta satis clarent. Item, quod vnigenitus DEI Filius non semel dicitur, proprius filius, qui à Patre ipsum esse habeat, quemadmodum de se testatur ipse apud Ioannem: quia inquit, *AB IP SO SVM.* iam verò non æternus esset Pater, nisi ab æterno, proprium, vnigenitum, suum filium genuisset: sicut iam olim hoc argumento Arianos veteres impugnavit Augustinus. *DEVS* ipse apud Prophetam ante se dicit non formatum *DEVM*, & post se non futurum. Si ergo Christus *DEVS* est, quod ne Diabolus negare potest, sequitur irrefragabili necessitate coæternum esse Patri. Communicationem verò τῶν ἰδιωμάτων quod attinet, etsi fatemur, complexum hoc siue appellationem ipsam totidem Syllabis contunctim non occurrere: & κοινωσίας tamen vocem non nescit scriptura, nec ἰδιωμα siue ἰδιον quoque reticet: Rem verò aut doctrinam ipsam ita euidenter exponit, vt summopere mirari nos oportet, vocari in dubium, nisi Arianos, Deitatis Christi conuellendæ, tollendæ annihilandæ causa, perspicua quæque in incertum dubiumque trahere sensum multo cum dolore quotidie experiremur. Extant autem Theologorum saniorum scripta publice, quibus confirmatum abunde reddiderunt, quis sit huius doctrinæ fons, quomodo in Ecclesia retineri semper debuerit distinctio hæc inter naturas, naturarumque propria. Quia enim scriptura infinitis propemodum locis testatur, *CHRISTVM* verum esse *DEVM* & verum hominem: oportet profecto duas essentias & naturas in ipso agnoscere. Quia vero suum cuiuslibet naturæ est ἰδιωμα: & ob summam tamen arctissimamque vnionem, quædam

quædam toti personæ, quædam alterutri tantum natura *ιδίως* competunt: non potuit melior ad mysterij istius venerandi expositionem doctrina, quam hæc de proprietatum communicatione proponi. Cuius si exempla vobis proferamus ex sacris: numquid non probatum erit, non esse commentum, nec **SIMPLICI VESTRA NEGATIONE** sublatum *ιστις* Cum Iohannis octavo diceret Christus, antequam Abraham fieret **EGO SVM**, *ὁ ὢν*, Iehoua sine præterito, & futuro: secundum quam naturam est, humanamne an diuinam? iuxta illam esse vel subsistere nequit, siquidem in plenitudine temporis natus, Gal. 4. Ergo iuxta diuinam qua Patri æterno est *ὁμοσίως*. Et de se tamen integro vel toto loquitur, quod **SIT** ante Abrahamum: quod per communicationem Idiomatum rectè explicandum: hoc est, ostendendum cuius naturæ proprium sit in Christo **ESSE** ante Abrahamum: videlicet diuinæ. Scio quid obganniant *Ἰεσοῦ ἄπο*, qui de prædestinatione & prædeterminatione *εἰς αὐτὸν* illud interpretantur: verum coactò falsoque sensu, cuius causa ne vnum sustulissent aduersus Christum lapidem Iudæi Ioan. 8. Melius enim quàm Ariani intelligebant, Christum non de consilio aliquo & decreto vel *προορισμῶ* loqui: at de subsistente persona sua, quam obrem dicunt: quinquaginta annos nondum habes, & Abraham **VIDISTI**. Viderat profectò Abrahamum, cum quo collocutus est, cui risum & læticiam peperit in Isaac, futuræ victimæ typo. Gen. 18. 6
25.

Ita Ioannis tertio, cum esset in terris, & Nicodemus concionaretur, Nemo, ait, ascendit in cœlum, nisi filius hominis qui est in cœlis. Carne sua in cœlis nondum erat, ergo deitate. Et de persona tamen in-

E

tegra

tegra id pronunciat: quod doctrinae huius luce po-
stea discernitur.

Non secundi nec tertij generis τῆς κοινωρίας ἰδιω-
μάτων exempla congeram, quae fideliter locis suis ex-
cussa & ad certas regulas accommodata sunt: vt quod
Filius DEI, mortuos exuscitat, aliaq; edit miracula,
quae cum diuinitatis eius propria sint, in, cum, & per
assumptam tamen carnem fiebant. Ideo enim manu te-
tigit loculum, digito aures, sputo vsus est, & nunquam
non declarauit euidenter, se non esse ψιλὸν ἀνθρώπον.
Quae etiam in tempore data sunt Christo, communi-
cationem profecto satis testantur propriorum diui-
norum respectu carnis assumptae. Qui enim omnipo-

Ioan. 10. 17. tēs Creator est, cum aeterno Patre suo, qui sibi disertē
Ioan. 5. 17. ait potestatem esse ponendi & sumendi animam su-
19. am, qui omnia opera facit quae Pater, & ipse potesta-
Luc. 10 19. tem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super
Apo. 1. 8. omnem virtutem inimici, discipulis confert, immo,
Apo. 3. 7. & qui omnipotens est: datam sibi fatetur omnem pote-
4. 6. 8. statem in caelo & in terra, non propter diuinam, iux-
ta quam ab aeterno omnipotens, verum assumptam
humanitatem, id quod non modo consensus Ortho-
doxae Ecclesiae perpetuus agnoscit, sed ipsa etiam scri-
pturarum autoritas & fides, vt firmiter assentiamur,
exigit. At quomodo minus veritati cedant aduersarij, ἀν-
πλογίας à ratione stolidi obiectas sibi proferunt: vt
quod aeterna generatio, & donorum largitio in tem-
pore facta, repugnent inuicem: Haec enim sequuntur
in libello Arianico.

XVI.

Præterea quod ad istam generationem attinet, cum e-
am non solum aeternam, vt ipsi volunt, sed si aeterna est,
naturas

Arian.

naturalem quoq; ac necessariam esse oporteat, nullo modo pos-
sunt hac referri ea, quæ vel in tempore (vt loquuntur) Chri-
sto à Patre data dicuntur, vel ita commemorantur, vt ex libe-
ra voluntate, aut certè in aliquem finem, aliquoue consilio do-
nata esse appareat; qualia sunt ea, quæ in testimonijs istis re-
censentur. Pugnans enim prorsus *Aeternum*, & *In tempore*:
nec non *Naturale*, ac *Necessarium*, & *Ex libera voluntate*,
aut *In aliquem finem*, aliquoue consilio, donatum.

Vbi ambiguitatis vitium primò fuerat euitan-
dum in voce naturalis, Procul dubio namq; generati-
onem naturalem eam vocant, quam natura nouit, & Orth.
admittit: præternaturalem verò, singularem, adoran-
dam & stupendam quæ ἔχ ὑποκείτω τοῖς κατώτερον τεχνολο-
γήμασιν iuxta Theophylactum, in naturalium legum
vincula tacito sensu cogunt: quæ impietas manifesta
est. Alia enim DEI generatio, alia hominum, alia Crea-
toris, longè alia creaturæ: hæc comprehenditur & e-
nunciatur, illa ἀκατάληπτη & ἀρρήτη est, siue nostro
ingenio nec satis percipi, nec voce humana, immò ne
angelica quidem exponi sufficienter potest. Deinde
cum necessariam generationem opponunt voluntati
liberæ: quærendum prius atq; cognoscendum, an ad-
uersarij DEO, qui liberrimum est agens, tribuant
necessitatem coactionis, & quæ eius libertati immen-
sæ opposita sit. Quod si non: quomodo contraria hæc
habebunt, & inuicem aduersa: Generationem esse ne-
cessariam, & data esse filio hominis diuina propria
vel χάρισμα ex libera voluntate.

Nec fallacia erat committenda vt causæ non cau-
sæ. Aeternâ enim illa & diuina quamlibet confirma-
ta pieq; credita generatione, nulla causa est, cur CHRIS-
TUS à Patre dari vel communicari aliquid non potu-
erit

erit in tempore. Etsi enim ratione *ἁγιότητος* aeternæ & essentiam suam habet à Patre, & omnem potentiam maiestatemq; parem sine vlllo temporis ortu, quemadmodum ipse OMNIA sua esse dicit, quæ patris sunt. Ioan. 10. & 17. illa tamen æqualis cum patre omnipotentia & par maiestas, secundum eam naturam **CHRISTO PROPRISSIME** tribuitur, qua est æternus **DEVS**, æterniq; Patris Filius. Quæ verò in assumpta carne, atq; adeo in tempore accepit, ad humanitatem eius necessario referuntur: sicut Christus ipse Ioan. 5. iudicium sibi ait à Patre traditum, *ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου*: idq; ex 7. Danielis & aliunde confirmare non erit operosum.

3. Pugnans sanè aliàs æternum & in tempore: sed pugnam hanc diremptam scias in **VNIONE** & *κοινωνία* arctissimā τῶν ἐνενεσίῳν vt Nazianzenus loquitur, carnis nempe & deitatis, infinitæ & finitæ naturæ. Naturale autem, necessarium, & ex libera voluntate incipit aliquem finem donatum, non pugnat, ne in Physicis quidem & Ethicis: multò autem minus, quando ad eadem, ad idem tempus subiectumq; proximū non fit respectus. Naturalis *σῶφρον* Parentum est erga sobolem, & non possunt non ob insitos istos igniculos amare abs se genitos: ex libera tamen voluntate nihilominus amare, muneribus afficere & præmijs, caros sibi rectè dicuntur. Sed quid opus hic multis? Etenim de rebus apertis ac sole lucidioribus respondere, nihil aliud est, quàm hominibus tam prave agentibus, causam improbitatis impudentiæq; suggerere, vt verissime quondam pronuntiabat Athanasius.

2b. orat. 16.

Quod

XVII.

Quod verò attinet ad *Idiomatum communicationem*, *Arianis* ea nequaquam efficere potest, ut, quod unius naturæ tantum est, alteri separatim tribuatur, licet efficere fortasse possit, ut, quod unius naturæ est, ipsi personæ simpliciter accommodetur. Nemo enim, exempli causâ, dixerit, Anima mea est procera; aut, Anima mea induitur talari veste; aut, Anima mea lauatur in balneo; etiamsi corpori, cuius hæc sunt propria, ita in homine eius anima sit coniuncta, ut ex utroq; ipse idem unus homo constet; quemadmodum volunt, ex diuina, & humana natura, vel ut alij loquuntur, ex Deo, & homine, constare unum eundem ipsum Christum Iesum. Ad hæc, quomodo unq; hæc *Idiomatum communicatio* in locis de Christo loquentibus admittatur, hoc nihil est aliud, quam cum sacris verbis quodam modo ludere, & planè incertum de loci sententia, deq; re ipsa sepius reddere lectorem.

Committunt hoc loco insignem fallaciam aduersarij & *ψευδογενήματα*, quando *Idiomatum communicatione* effici aiunt, ut quod unius naturæ tantum est, alteri *SEPARATIM* tribuatur. Quis enim naturæ alteri *SEPARATIM* tribuit vel accommodauit quidpiam. Pati, mori, hominis erat seu humanæ naturæ in Filio DEI: Numquis etiam rectè asseruit, diuinam naturam pati aut mori: quemadmodum congruè & *ὀρθόδοξως* dictum de Persona totâ: *DEVM* passum, mortuum: Separatim tribuere vni naturæ aliquid, est separare & conuellere naturas; quam *διάλυσιν καὶ διαίρεσιν* Nestoriani atq; Arianis audacter introducunt.

Vide autem, quam dubitanter concedant id quod pernegare nescio qui pudor prohibuit, effici fortassis posse, ut quod unius naturæ est, ipsi personæ

Orthod.



simpliciter accommodetur. Profecto si vti placeat nobis exemplo animæ & corporis: homini sanè omnia tribuuntur, quæ vel de anima propriè, vel de corpore propriè dicebantur. Homo ratiocinatur, sentit, videt, loquitur, edit, bibit, &c. & horum alia animæ ἰδία, alia corporis: vtriq; autem ob nexum & compagem, eamq; paulo post solubilem, communia. Multò certius, in vnione ista dissolutionem nullam in æternum sustinente affirmabimus, CHRISTVM DEVM passum esse, mortuum, resuscitatum: Christum hominem, æternum, omnipotentem, vbiq; præsentem esse: tametsi quædam diuinitatis propria, quædam sunt humanitatis, quæ toti tamen personæ per communicationem Idiomatum rectissimè accensentur.

1. Cor. 2. 8.
Act. 20. 28.
Ioan. 5. 27.

Neq; verò lusus hic est, non sunt ò Ariani hæc affanix & naxia, quando cum scriptura piè ac sanctè profiteamur, Dominum gloriæ crucifixum, DEVM sanguine suo redemisse Ecclesiam, Christum hominè omnium, occultorum quoq; iudicem futurum: & quid cuiq; naturæ ἰδίως, quid personæ ἠνωμεύως vel propter vnionem conueniat, sobriè explicamus. Vos certè cum scripturæ verbis, non quodammodo, sed ultra modum omnem luditis, qui clarissima æternæ Christi diuinitatis testimonia *zeλοίως* eluditis, omnemq; certitudinem de Messia vero DEO & homine, quantum in vobis, sublatam, piorumq; animis ereptam inter sanas & opprobria cupitis.

XVIII.

Arian.

At enim dicent, quædam esse, quæ omnino sine ista Idiomatum communicatione, & porro duarum in Christo naturarum agnitione explicari nequeant. Vt, cum dicuntur omnia à Deo per Iesum Christum creata, Ephes. 3. vers. 9. vt quidem Græci

Græci codices habent; aut, cum dicitur *Filius hominis* in caelo fuisse ante quam conspicientibus ipsius discipulis, eò ascenderet, Iohan. 6. vers. 62; aut etiam in caelo esse, dum tamen in terra loqueretur, Ioh. 3. vers. 13.

Respondeo, nihil esse, cur hæc ad hominem illum Iesum Nazarenum propriè non referantur. Cum enim omnia creata à Deo per Iesum Christum dicuntur, non ea sunt intelligenda, de quorum creatione diligentissimè scripsit Moses in initio suæ historiae. Is enim ibi, cum creandi actionem exponit, nullius personæ, quæ partem in ea habuerit, præter Deum ipsum, mentionem facit. Atqui hic necesse est, alium esse Deum, & alium eum, qui Iesu Christi nomine intelligitur; cum Deus per Iesum Christum creasse dicatur. Præterea nusquam Christus uniuersè, aut generatim creasse dicitur, sed per eum factam fuisse creationem. Itaq; nulla Christi, siue eius, qui Christi nomine apud Paulum intelligitur, in creatione, quam Moses exponit, facta est mentio. Moses enim Dei, ut creantis, meminit, non autem, ut per quem sit facta creatio. De alijs igitur rebus creatis est Pauli locus accipiendus, & vox Omnia ad ea omnia referenda quæ ad nouam creationem pertinent; quam per hominem illum Iesum Nazarenum factam fuisse constat. Quemadmodum idem Paulus alibi ait, omnia noua esse facta. 2. Cor. 5. vers. 17. Cum tamen certum sit, infinita esse, quæ in eodem statu manserunt, in quo erant antea, nempe quia ibi vox Omnia ad ea omnia referenda est, quæ ad Dei fœdus cum hominibus, adq; religionem pertinent, & ad ea, sicut in superiore loco fieri debere contendimus, restringenda.

Ne frustra ludere ipsos in scriptura dixerimus, Orthod. exemplum vide, quod proponunt ipsi, in quo aleatorum instar δυσκομβόσων. Ad Ephesios inter alia scriptum: τὴν ἡκωνωνία ἔμυστηρίσ ἔδοκεκερυμμένους ἀπὸ τῶν αἰώνων ἐν τῷ θεῷ τῷ τὰ πάντα κτίσαντι δια Ἰησοῦ χριστοῦ: quæ sit

3. c. v. 9.



fit communio mysterij, quod erat absconditum à se-
culis in DEO, qui omnia condidit per IESVM
CHRISTVM. Hæc verba ne per communicati-
onem Idiomaticum, non de nudo solo homine Christo,
sed de diuina eius natura proprie accipiant, miserè ita
discerpunt, vt aliam *κρίσιν* siue creationem hic fingant,
diuersam ab ea quæ in Geneseos initio describitur.
Quia inquit Moses in historia creationis nullius per-
sonæ mentionem facit, quæ partem in ea habuerit præ-
ter DEVM. Solius sanè DEI, nullius idoli me-
minit eo loco Moses: sed non vnus tantum personæ
in diuinis. Quia vtitur plurali *אלהים*, quo nomine
tres personæ, vel Iudeorum saniorum veteri suffragio
comprehenduntur: facit mentionem DEI iubentis
siue mandantis fieri omnia: VERBI (*אמר* ab *אמר*)
per quod facta omnia: Spiritus sancti incubantis reb.
omnib. atq; fouentis omnia: Id quod alibi à nobis *συν-
θεστρον* demonstratum, inq; Psalmo 33. expressè confir-
matum: VERBO IEHOVAE coeli firmati sunt:
& SPIRITV ORIS eius omnis exercitus eor-
um.

II. Planè non necessarium est, alium esse DEVM,
& alium eum qui IESV Christi nomine intelligi-
tur, ideo quod DEVS per Christum creasse dici-
tur: modò rectè intelligatur nomen DEI, quod ali-
quando *ὑποστατικῶς* siue personaliter tantum DEVM
Patrem, aliquando *συνωδῶς* tres personas simul notat.
Non est alius DEVS & alius IESVS CHRI-
STVS, si ad essentiam diuinam respicias: est verò al-
lius qui condidit, alius per quem condidit, si ad distin-
ctionem personarum piè aduertas,

III. Nus-

III. Nusquam vobis, Ariani, **CHRISTVS** vniuerse & generatim creasse dicitur. Vnde hæc locutio ambigua: Sed quid velitis forsan conijcio: **CHRISTVM** negatis solum dici rerum omnium creatorem. Respondeo: nec Pater solum creauit, sed in creatione totius vniuersi, vnus verus **DEVS** in tribus personis Omnia condidit ex nihilo: adfuit **VERBUM**, *ἡσιώδης* ille *λόγος* qui est **DEVS** Ioan. 1. adfuit Spiritus sanctus. Neque tantum **PER** Christum omnia facta: sed **SINE** **IPSO** factum est nihil quod factum est: utque Apostolus disertè loquitur ad Colossenses; **IN** **IPSO** condita sunt vniuersa in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates: omnia per ipsum & in ipso creata sunt: portat omnia verbo virtutis suæ: quamobrem & principium (*πρωτικὸν καὶ σωτηριατικὸν*) creaturæ **DEI** appellatur. Quod ergo Moses non meminerit secundæ huius in Trinitate sancta personæ, falsissimum est.

Colos. 1. 6.

Hebr. 1. 3.

Apoc. 3. 14.

IV. Quanta verò impudentia in Apostoli loco vocē, **OMNIA**, restringere ad nouam creationem, que per Christum facta sit: cum ex primo cap. ad Coloss. vniuersa in Christo condita, quæ in cœlis & in terra sunt, visibilia & inuisibilia, principatus & potestates rectissimè pronuncietur. Numquid inuisibilia quoque & potestates omnes ipsæque angelicæ naturæ per Christum modò innouatæ? Certè, si vel largiretur quispiam vobis, verbum creare, hic pro innouare accipiendum: oportebat utique inuisibilem eum esse, & omnipotentem, qui inuisibilia, omnemque principatum ac potestatem creare, hoc est, innouare, ut vos interpretamini, debuit: ac proinde **DEVS** verus erit. Apo-

F

stoli



stoli textus ad Corinthios 2. epist. 5. 17. Itaq; si quis est
in CHRISTO noua creatura est, vetera prætereunt,
ecce noua facta sunt omnia: non de creatione specierū
noua sed reparatione generis humani & innouatione
hominis loquitur, cui cor nouum creatum Psal. 51. hoc
est, immutatum inq; melius conuersum, vt sit quasi no-
ua creatura in Christo Gal. 1. 15. noua sic facta sunt o-
mnia, non quoad ἁσίου sed ποιότηα. Confusio ergo tex-
tuum insignis, eorum dico, qui de creatione ἁ παντός
totius vniuersi, Christo etiam vindicata, & de restau-
ratione generis nostri extremē post lapsum perditū,
agunt.

XIX.

Arian.

Similiter, quod filius hominis in cælo fuerit ante, quā
eō conspicuē ascenderit, reuera & propriē ad hominem illum
Iesum Nazarenum referri & potest, & debet. Nam quod
reuera homo ille, postquam natus est ex virgine, & antequam
Euangelium annunciaret, in cælum raptus fuerit, ibiq; ab i-
pso Deo ea didicerit, quæ humano generi patefacienda per i-
psū erant, adeo est verisimile, vt aliter fieri non potuisse vi-
deatur. Non est igitur sine vlla causa, immo præter & con-
tra omnem rationem, vis verbis inferenda; sed ea, vt sonant,
accipere & in hoc, & in similibus alijs locis oportet, & sic
plana erunt omnia.

Orth.

Ineptias & nugas has ne quidem attingerem,
nisi blandirentur sibi huiuscemodi φαντασίας Antis-
christi, Ecce Christum hominem propriē secundum
naturam humanam quam solam agnoscunt, in cælo
fuisse dicunt, priusquam vt homo illuc ascenderet.
Gradus autem, quibus in cælum se homo ille nudus
(immō ne homo quidem, si diuina eius natura huma-
nam sustentans tollitur) ante ascensionem visibilem
se ferre:

se ferre potuerit, fingunt $\psi\epsilon\upsilon\delta\omicron\ \kappa\alpha\iota\ \epsilon\pi\omicron\lambda\eta\psi\iota\nu$. Mendacium enim hoc apertum nimis, quod raptus sit in coelum ad dies vel menses aliquot. Probate, si unquam omnino potestis. Opinio caeca, quam ne ipsi quidem tuto dissimulant, cum aiunt **VIDERI** esse **VEROSIMILE**. Videtur sanè immo cernitur falso esse quam similitimum. His enim ad orbem gradibus itur, non ad coelum. Filius **DEI** idemque hominis, verissimè in coelo erat, priusquam ascenderet, sed quàm **DEVS** aeterno Patri $\alpha\epsilon\iota\ \sigma\omega\theta\epsilon\omicron\nu$, non iuxta carnem assumtam, quæ nondum visibiliter & localiter ascenderat. Non igitur sine vlla causa, præter & contra rationem omnem vis manifestis verbis inferenda: sed ea vero sensu, utque sonant piè accipienda sunt in omnibus hisce locis, & plana erunt omnia.

XX.

*Iam in loco Iohan. 3. vers. 13. licet vulgo legatur, qui **Arian.** est in coelo, potest tamen ex graeco legi, qui erat in coelo, quemadmodum Erasmus, Beza, & alij monuerunt. Itaque erit hic locus superiori similis. Quòd si quis tamen vulgatam lectionem mordicus retinere velit, non tamen sequetur, aliam præter humanam fuisse in Christo naturam siue essentiam; secundum quam scilicet fuerit tunc reuera in coelo. Istud enim Esse in coelo ita accipiendum erit, ut ipsi humana natura, seu ipsi homini, de quò disertè verba fiunt, conuenire possit. Eo nimirum sensu, quo ibidem dicitur, filium hominis ascendisse in coelum, & neminem præter ipsum. Hoc enim nec secundum humanam, nec secundum diuinam naturam rectè potest, ut ipsa verba sonant explicari, nisi fortasse, si concedatur hominem illum reuera ascendisse in coelum ante, quàm hæc verba proferret. At verò, cum hoc, unde, ut dixi, omnia plana fiunt, licet verissimum, non agnoscatur; factum est, ut plerique istum*

ascensum in caelum, penetrationem (vt ita loquar) ad rerum
diuinarum cognitionem sint interpretati. Sic igitur simili-
ter Esse in caelo, ipsam iam adeptam rerum diuinarum cog-
nitionem interpretabimur.

Orthod.

Iren. lib. 3.
c. 19.

Quam mire se torquent & sollicitè laborant hos-
tes diuinitatis Christi, vt glossema aliquod specios-
sum, gypsum aquæ mistum sub lactis specie propinā-
tes, haëreticorum omnium more, simplicioribus obij-
ciant. Participium, ὁ ὢν ἐν τῷ ἔργῳ libenter exponerēt
pro ERAT, idq; ad finitum & breue tempus saltem
restringerent, sicut audent asserere, Christum, nudum
illum Arianis hominem, fuisse in caelo carne sua pri-
usq; ea verba diceret; eo nempe modo quo Apostolus
in tertium caelum raptus legitur, ὁ ὢν existentem si-
gnificat, eum qui est, non qui erat. Quamuis autem
Beza non minus per erat, quam per est conuerti pos-
se existimat: in odium tamen eorum qui Christi Θεο-
ῦ ὄντος maiestatem carni assumptæ communicatā mox
in ipsa ἐνοουγκώσει turentur, (quos ipse Nestorianis &
Eutychianis malitiosè comparat) suscipere ipsum, ver-
sionis non prorsus congruæ defensionem, ex com-
mentarijs apertum est. In Erasmo maior modestia, cu-
ius hæc verba: Participium verti poterat per præte-
ritum imperfectum: qui erat in caelo: videlicet, ante-
quam descenderet. Sic enim Filius hominis dicitur
fuisse in caelo aut versari in caelis, sicut Dominus glo-
riæ dicitur crucifixus, ob proprietatum in hypostasi
duas complectente naturas, cōmunionem. Hæc ille.

Psal. 115. 16.

Sed esse, inquit, in caelo, accipiendum ita est, vt
homini conuenire possit; Respon. Proprium non est
hominis esse in caelo: quia terra data est filijs hominū.
Quod autem Filius hominis, cum adhuc in terris ver-
saretur,

faretur, in cœlis quoque erat: id fit ratione Deitatis, qua
cum Patre & Spiritu sancto replet omnia. *Ier. 23. Ier. 23:24*
non, quia **V I D E T V R** Arianis aliquan-
do latenter ascendisse, & rediisse postea: aut sicut Mo-
ses & Elias in montem ascenderunt, collocaturi cum
D E O. Ascensus enim iste **VERISIMILIS**,
quem vocabant, aut qui ipsis in alto somno fortassis
V I D E B A T V R omninò fictitijs est, & similis
τῆ φαντασίᾳ Arianorum.

Audi verò quem præterea ascensum commenti
sint? Penetrationem ad rerum diuinarum cognitio-
nem: vt sensus sit, **C H R I S T V S** est in cœlo, hoc
est, adeptus est rerum diuinarum scientiam. O desul-
toriam leuitatem, & proiectam ad quiduis fingendū
libidinem. Vbi vnquam **ESSE IN COELO**
scriptura proprie definiuit, assequi rerum diuinarum
cognitionem? An verò Christus ista *via cœlesti* & co-
gnitionis via opus habuit, qui est sapientia Patris, in
quo omnes thesauri scientiæ & cognitionis sunt ab-
sconditi: qui adhuc puer, plenus est, sapientia, gratia,
& veritate: tamen si sapientia creuisse dicitur, *διὰ τὴν*
φανερωσιν, iuxta Græcos.

Ecquid ergo vobis descensus fuerit, cum dicit
Saluator: Nemo adscendit, nisi qui descendit, Filius
hominis qui est in cœlo. Si ascendere & esse in cœlo
est rerum diuinarum assequi cognitionem, descende-
re erit, Arianis interpretibus, excidere ista cœlesti-
um noticiâ. Et ita Christus affecutus erit diuina ascē-
su: & ab iisdem delapsus descensu: siquidem esse in
cœlo significat vobis, cœlestia nosse, & descendere ē
cœlis, à cœlestibus excidere. Si id non ludere est, non
astragalus sed verbo Spiritus sancti, nullus sim.

F 3

Sed



Arian.

Sed sunt, qui omnino ex eo maximè putent colligi duas in Christo naturas, diuinam, & humanam, quòd filius Dei & appelletur, & sit; vnde per communicationem idiomatum fit, vt homo ipse Iesus Nazarenus filius Dei esse dicatur. Nam alioqui, quomodo, inquirunt, purus homo, id est cum ipsa diuina essentia non copulatus, Dei filius esse potest? an non necesse est, vt, sicut homo hominem, ita Deus Deum generet?

Ad hoc sic respondeo. Si constaret, fieri posse, vt Deus, quemadmodum homo, & cetera animalia, ex sua ipsius substantia gigneret sibi similem, vim aliquam videretur habere hæc ratio. Verùm non modò id non constat, sed contrarium facile probatur. Namq; ex ipso consensu omnium Trinitariorum, exq; ratione manifesta intelligi potest, Dei substantiam, id est essentiam, nulla ratione diuidi aut multiplicari posse. Ipsam autem totam & numero vnã ac prorsus eandem pluribus personis communem esse non posse, id euidenter demonstrat, quod supra diximus, videlicet necesse esse, vt non pauciores sint indiuiduæ essentiæ, quàm personæ. Porrò autem quomodo Deus generet sibi similem, satis declarat scriptura, quæ compluribus in locis homines pios, maximè verò Christo confidentes, ex Deo natos, ab ipsoq; generatos esse, affirmat. adeò vt alicubi neget, eos ex hominibus esse natos, vt Iohan 1. vers. 13. Cur hic verò duas naturas non comminiscimur, diuinam, & humanam, negantes, puros homines posse ex ipso Deo generari & nasci, nec ex ipsis hominibus ortum ducere? Quemadmodum igitur hic agnoscimus, vnum & eundem hominem, duplici ratione consideratum, videlicet ratione Spiritus, & carnis, & esse, & non esse filium Dei, aut hominis; sic etiam agnoscamus, eundem ipsum hominem Iesum Nazarenum & secundum carnem, esse filium hominis, & secundum Spiritum, esse filium Dei; Rursus, secundum carnem,

nem, non esse (si ita placet) filium Dei, secundum autem Spiritum, non esse filium hominis. Quamquam, ut postea dicemus, Iesus Nazarenus, etiam secundum carnem, filius Dei à scriptura agnoscitur. Ista autem distinctio in ipso Christo Pauli Apostoli verbis apertissime confirmatur; qui unum & eundem Dei filium ex semine Davidis generatum esse secundum carnem, at secundum Spiritum sanctificationis, Dei filium fuisse definitum, testatur Rom. 1. vers. 3. & 4.

Belli philosophi, qui modum postulant in omnibus, quamvis in omnibus nusquam inueniant: at pessimi Theologi, qui tum se credituros profitentur CHRISTVM esse DEVM, quàm DEI Filius: si cõstet, quomodo hominis & aliorum animantium *ἡμεῶν* naturalis est, ut unumquodq; gignat sibi simile; ita fieri posse, ut DEVS generet similem sibi. Audent generationis diuinæ eum quærere modum, quem in humanis exhibuit natura. Audiant verò DEVM ipsum dicentem de se apud Prophetam: Numquid ego, qui parere alios facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus DEVS tuus. Quod etsi de filiis Iñs Sion, siue Ecclesia, quos DEVS verbo suo quasi gignit, rectè intelligitur: non alienum tamen est penitus ab hoc loco, quo fatemur DEI Patris proprium esse, gignere, qui Psalmo 2. dicit ad Filium: Ego hodie genui te. Et quamvis substantia siue essentia, nulla ratione diuiditur, aut multiplicatur: VERE tamen Filius à Patre genitus est inenarrabili per omnia modo, ita ut non sit *ὁμοῖος* sed *ὁμοῦς*, eiusdem essentia & maiestatis: quia est substantialis imago, & character hypostaseos Patris Hebr. 1. v. 3. Communis est trium personarum & eadem essentia, non sunt plures indiuiduæ.

Orthod.

Es. 66. v. 9

viduæ vt loquuntur, essentiæ, sed ὑποστάσεις τρεῖς, μία
ἕσις vt in symbolo Athanasiano ex scriptura collecto,
confitemur.

II. Credentes dicuntur quidem nati ex Deo, sed
minimè sunt similes naturâ DEO, qui est essentia in-
finita. Et scriptura istius fidelium regenerationis rati-
onem non occultat, quia dicit, quod voluntariè nos
genuerit verbo veritatis; secundum misericordiam
suam magnam, ait Petrus, regenerauit nos in spem vi-
uam: & Ioannes: nisi quis renatus fuerit ex aqua &
Spiritu, &c. Hic nullo diuersarum naturarum opus
est discrimine, sed diuersa conditio indicatur hominis,
vt ex matris utero prodijt, & vt ex Spiritu sancto &
aqua renatus est. Hic renatus homo, DEI Filius est
per ὑιοθεσίαν adoptionem. Nam cum naturâ essemus
filij iræ dedit (ὁ λόγος ille æternus, verusq; DEVS)
potestatem nobis filios DEI fieri, quotquot credunt
in nomen eius. CHRISTVS verò longè alia ratione
est Filius DEI, non quia renatus, vel tantum secun-
dum Spiritum, sed quia ex Patris essentiâ genitus:
quamobrem μονογενῆς παρὰ πατρὸς vocatur, ἰδίος ὕος,
Filius DEI scrutans corda & renes, vitam habens,
& alijs impertiens, Ioan. 5. v. 18. Iudæi probè intellexe-
runt vim & emphasin verborum, quod Christus dice-
ret proprium suum Patrem DEVM, ἰδίον ἔλεγε πα-
τέρα τὸν θεόν: quia inquit, æqualem se facit DEO.
Apostolus, expressè distinguit, inter duas CHRISTI
naturas, loquens de Filio DEI factio ex semine Da-
uidis quoad carnem, declarato DEI Filio potenter,
quoad Spiritum sanctificationis per resurrectionem
ẽ mortuis. Nam ex semine Dauid CHRISTVS est,
quoad

Iohan. 1. 13.

Iacobi. 1. 18.

1. Pet. 1. 3.

Iohan. 3. 5.

Eph. 2. 7. 3.

Ioh. 1. 7. 12.

Ioh. 1. 14.

Rom. 8. 32.

Apoc. 2. 23.

Ioan. 20. 31.

Rom. 1. 7. 3.

4.

quoad carnem siue humanam naturam; declaratus autem est, definitusq; potenter per virtutes, miracula, per resurrectionem ex mortuis, quod sit verus DEI filius: quemadmodum in Actis manifestatum Apostolus *Act. 13. 33.* confirmat hominibus, Christum non tantum esse hominem, sed & Filium DEI, ab aeterno à Patre genitum: sicut & Iohan. 1. v. 4. Vidimus inquit gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre, &c. Quia vident afferri ea scripturae loca, in quibus Christus unigenitus ac proprius DEI filius vocatur, quærunt *κρησφύρα*, & exquirunt, quascunq; licet, latebras.

XXII

Verum, dicit aliquis, Christus non solum Dei filius, sed etiam unigenitus ac proprius Dei filius in sacris litteris appellatur. Quamobrem necesse est, illum singulari aliqua ratione ex Deo esse natum, præter reliquos omnes Dei filios. *Arian.*

Hic fateor libenter, atq; agnosco singularitatem istam, sed non propterea concedo, eam in eo consistere, quod Christus ex ipsa substantia Dei sit generatus, alij verò minime. Iam enim ostensum est, Dei substantiam nec diuidi, nec multiplicari, nec eandem ipsam vnâ numero pluribus personis communem esse posse, Ceterum in quibus consistat hæc Christi natiuitatis ex Deo singularitas, ex ipsis sacris testimonijs intelligi potest.

Fateri ipsos oportet esse singularitatem, qua Christus DEI filius sit unigenitus: sed ex substantia DEI genitum esse adhuc negant: propter absurdum istud frustra hic fictum, quod substantia nec diuidatur, nec multiplicetur, nec vna & eadem numero pluribus *Orthod.*

G

ribus

ribus cōmunis sit. At enīnuero responsum satis, nec
διάρρησιν nec πολλὰ πλάσια σμὸν vel σωθεῖσιν substantiæ
induci, vbi æterna Filij generatio docetur. Est enim
in diuina essentia, purissima simplicitas, quæ nec di-
stinctionem nec commistionem, aut multiplicatio-
nem admittit, quemadmodum pulcrè in hanc sententiam
Nazian. differit in libris de Theol. & in Orat.
ad Euagrium. Itaq; frustra metuitur ista absurditas.
Iam vero considerare fas est modos quibus singula-
ritas natiuitatis Christi præ reliquis DEI filijs ad-
seritur.

XXIII.

Arian.

*Primum enim in eo consistit, quod Christus, simulatq;
natus est homo filius Dei fuit; & sic natura filius Dei est, re-
liqui autem homines Dei filij, non sic adeo ut, hac ratione in-
specta, alij præ Christo non nati, sed adoptati, ut alicubi vide-
tur scriptura loqui, filij Dei dici debeant. Natus est autem
Dei filius homo ille Iesus Nazarenus, qui dicitur Christus,
quia non ex virili semine, sed ex Spiritu sancto virtuteq;
Altissimi in virginis utero conceptus est. Hanc enim ipsam
obcausam id, quod ex virgine nasceretur, Dei filium vocatum
iri, ipsi virgini prædixerat angelus Dei, Luc. I. vers. 35. Vnde
apparet etiam secundum carnem, eum merito posse dici Dei
filium, id quod nemini alij contigit, aut contingit.*

Orth.

*Primo quidem cum Serueto Christum dici vo-
lunt vnigenitum DEI Filium propter concep-
tionem admirandam, & quod ex Maria virgine natus: ut
ita ad humanam tantum naturam appellatio ista (vni-
geniti) referatur, Sed manifesta falsitas, quod Chri-
stus*

Nus modò conceptionis & natiuitatis suæ admirandæ
 causa sit filius DEI: immo potius quia naturá & verè
 DEI filius est, singularẽ oportebat eius esse ex virgine
 partũ. Ratione natiuitatis tẽporanæ potius creatus
 quam genitus est. Per ista autem quæ in tempore fa-
 cta sunt, reuelatur nobis eius diuinitas. Est μονογενὴς
 vnigenitus Patris, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς Ioan. 1. v. 14.
 hoc est, vt ipse interpretatur Chrysostr. ὁ ἀχώρη-
 τος τῆς ἑσίας καὶ τῆς ἀγάπης πατρικῆς ἐν φύσει; & ratione
 æternæ suæ generationis ἀμῆτωρ: est etiam πρῶτοτο-
 κος Mariæ Matth. 1. v. 23. & ratione temporalis nati-
 uitatis ἀπαύτωρ. Itaq; posterior natiuitas, quæ est sine
 Patre, reuelat nobis æternam, quæ est sine Matre, &
 vnigenitum à Patre, ex essentia Patris natum esse con-
 firmat. Idq; ex Angeli etiam verbis demonstrari pos-
 test Luc. 1. v. 35. Id quod nascetur ex te sanctũ, vocabi-
 tur Filius DEI. Verbum enim caro factum siue
 λόγος incarnatus agnosci ab hominibus talis debuit
 qualis semper fuit apud Patrem: vt filij DEI nomen
 coniunctim iam in vtramq; simul competat naturam,
 diuinam, quatenus verus DEVS: humanam quatenus
 à filio DEI assumpta κεκληρονόμηκε summum hoc no-
 men, vt loquitur Epist. ad Hebr. 1. c. v. 4.

vid. hic Aug.
 contra Secun-
 dinum Ma-
 nich. c. 5.
 Et in epist. ad
 Rom. propo-
 sit. 55.

XXIV.

Deinde, cum alijs hominibus Deus Spiritum suum, ex Ariano.
 quo filij Dei fiunt, ad mensuram largiatur, huic homini Chri-
 sto sine mensura suum Spiritum, vnde sublimiore, quàm an-
 tea, ratione filius Dei est factus, largitus est, Iohan. 3. vers. 35.
 Si modò is locus ad Christum referri debet. Sic enim simplici-
 ter verba

G 2

ter verba



ter verba habent, Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum, nulla Christi mentione in eis facta, Possunt autem commodè hæc verba ad totum Euangelij prædicationis ministerium referri; ubi Deus non parcè & restrictè, sed abundanter & effusè suum Spiritum est humano generi largitus: Quidquid sit, certum est ex ipsis diuinis litteris, alijs singulis hominibus Deum multa spiritualia dona dare potuisse, quæ non dedit; at Christo homini nihil spirituale non dedisse, quod dare potuerit. Quocirca meritò singulari ratione ex Deo præter alios natus dicitur.

Orthod.

Secundò vnigenitum dici aiunt propter donum Spiritus, quod in eum sine mensura collatum est, Ioan. 3. v. 34. quamuis dubij adhuc sunt, vtrum de Christo verba ista accipi debeant: Cum tamen ex antecedentibus id cognosci satis queat: ita enim Ioan. Baptista: IS QVEM MISIT DEVS verba DEI loquitur, non enim (huic) *ἐκ πατρὸς* dat DEVS Spiritum: de Messia certè qui missus erat, loquebatur. Sed hic textus diuinam eius & æternam cum Patre essentiam maximè illustrat. Quia enim non ad mensuram accepit Spiritum, vt Ioannes, vt reliqui sancti, sed S. S. ita in ipso residet, vt hauriamus omnes ex eius plenitudine Ioan. 1. v. 16. & ipse Christus largitor est & dator S. S. oportebit profecto eum esse verum DEVM. Quia solius diuinæ naturæ est conferre Spiritum alijs: quod fecisse Christum ex 20. cap. Ioan. patet. Ad Col. 2. 9. huius loci expositio tradita est: cum tota plenitudo diuinitatis in Christo habitare dicitur *σωματικῶς*. Psalmus 45. quidam etiam quasi commentarijs est horum verborum: vbi S. S. sic alloquitur Christum:

stum: Solium tuum, o DEVS, in seculum seculi virga
directionis virga regni tui. Dilexisti iusticiam & odis-
sti iniquitatem: propterea vnxit te DEVS DEVS
tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Quod si ve-
rè profitentur θεόμαχοι Christo homini nihil spiritua-
le non dedisse patrem, quod dare potuerit: cur negant
communicationem essentiæ infinitæ ab æterno, cum
sit verus & æternus DEI Filius, cum Pater nihil
maius Filio, quam omnem suam essentiã & maiesta-
tem communicare potuerit?

XXV.

*Ad hæc, cum Christus homo ante alios omnes solus & Ariam.¹⁷
immortalitatem ac glorificationem sui corporis adeptus sit,
& heres ac dominus vniuersorum fuerit constitutus, quibus
rebus maxime similitudo cum Deo, ob idq; diuina filiatio
continetur, apparet, illum singulari ratione, præter alios o-
mnes, ex Deo natum fuisse. Cumq; hæc, dum adhuc in terris
degeret, ab ipso initio certissime futura omnino essent, merito
iam tum, ob has ipsas causas, vnigenitus ac proprius Dei filius
est appellatus.*

Tertio modo vnigenitum appellari censent *Orthod.*
propter glorificationem corporis. Nusquam autem
ex scriptura probatum nobis, Christum ideo esse *μο-
νογενή πατρός*, quia corpus eius est glorificatum: inuer-
tas rectius licet, quod corpus Christi glorificatum,
quia τῷ λόγῳ vnitum, siue quia vnigeniti & æterni
DEI filij corpus est. Et quomodo hæc constabunt:
Christus gloriam corporis & immortalitatem ac do-
minium vniuersorum plene adeptus est post resurre-
ctionem:

Aren. lib. 5.

Etionem: & tamen longe ante vnigenitus ac proprius
us DEI filius vocatus? Quia inquit certissime futu-
tura esset resurrectio: proinde futurorum causa iam
dicebatur vnigenitus. Ah quam multa oportet falsa
& vana dicere, eos qui vnum recte non agnoscunt &
intelligunt.

XXVI.

Arian.

Quaedam alia omitto, propter qua Christus homo Dei
filius vnigenitus ac proprius iure potuit nominari, & tan-
tum illud moneo, Isaacum, cum in ara Deo oblatu-
s est, vnicum siue vnigenitum Abrahami filium fuisse dictum, Gen.
22. vers. 2. & 12. Heb. 11. vers. 17. cum tamen Abrahamus
tunc temporis alium filium ex sese vere, non minus, quam Isa-
acus, natum haberet, hoc est Ismaelem. Nam qua ratione ta-
men nihilominus Isaacus eius filius vnicus siue vnigenitus di-
ci potuisse ostendetur, eadem, aut simili, Christum hominem,
vnigenitum seu proprium Dei filium nominari potuisse de-
monstrabitur; tamen si alios etiam similiter ex Deo natos es-
se constet.

Vt autem tota haec res melius intelligatur, examinen-
tur loca omnia sacrarum litterarum, in quibus vel tacite, vel
aperte caussa exponuntur, cur Christus Dei filius nominetur.
Nusquam enim iuuenies nec expressam, nec indicatam caus-
sam istam, quod ex ipsa Dei substantia siue essentia sit gene-
retus, sed vel propter modum conceptionis in matris utero, vel
propter sanctificationem Dei & in mundum missionem, vel
propter resurrectionem a mortuis, quam scilicet consecuta
est glorificatio, & supra omnes res creatas exaltatio, vel pro-
pter aeternum sacerdotium ac regnum, quod a Deo habuit, vel
propter alia eiusmodi, eum Dei filium & esse, & nominari
iuenies,

inuenies. Vide autem hæc loca, ex quibus iam aliquot supra
attulimus. Luc. 1. vers. 35. Iohan. 10. vers. 36. Act. 13. vers. 33.
Rom. 1. vers. 3. & 4. & cap. 8. vers. 29. Psal. 2. vers. 6. & 7.
Hebr. 5. vers. 5.

Quarto reiectis alijs cauillis, quibus filij DEI *Orthod.*
æternam generationem eludi posse somniant, profugi
unt ad 22. cap. Genes. v. 2. & 12. ad Hebr. v. 17. Et Chri
stum eo modo cupiunt appellare vnigenitum quo I
saac dictus est. In textu quidem Ebræo v. 2. vnicum
legimus: eiecto nempe altero Ismaële: cape filium tu
um vnicum illum tuum quem diligis Isaac:

קָח לְךָ בֵּן יְחִידָא אֶשֶׁר אֶהְיֶה אֵת יְצִיקָא
LXX. λάβε τὸν υἱὸν σου τὸν ἀγαπητὸν, ὃν ἠγάπησας τὸν Ἰσαάκ.

Sed etiamsi reddamus vnigenitum, quemadmodum
epistola ad Hebr. μονογενῆ vocat: constat tamen DEI
oraculo iam abdicatum fuisse Ismaëlem ex familia A
brahæ, & in domo eius, vnde pulsus erat, instar mortui
habitu fuisse: quia in Isaac vero hærede promissionū
vocari debebat ipsi semen. Christus autem vnigeni
tus est Patris, non quia nos eramus filij iræ, & reie
cti à DEO: sed quia ex substantia Patris genitus est
ab æterno, quod ex omnibus scripturæ locis fidei a
nimo confirmari potest: vbi omnino proprie μονογενῆς
vocatur. Si autem proprie, igitur genitus è substantia
DEI patris, siquidem gignere proprie significat ali
quem è nostra substantia nobis ὁμοσίον procreare. Et
si vero id audacter negant Ariani, & suos illos quos
confinxere ac perperam accommodauere modos ite
rum vrgent: certi tamen sumus, quod Christus sit v
nigenitus à Patre, plenus gratia & veritate, non tam
ob hu.

ob humanam, quam æternam potius natiuitatem. Ac
respiciamus sane ad eos textus quos ipsi cōuellunt, &
à sensu verò πάντως abducunt. Luc. 1. v. 35. Angelus
dicit: id quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius
DEI: propterea etiā &c. διὸ καὶ τὸ ἁγνόν μόνον ἄγιον. Par-
ticula & innuit satis, Christum non tunc demum ubi
conceptus & natus esset, dictum filium DEI, sed an-
te conceptionem iam fuisse illius nature respectu, quā
non est à S. S. conceptus, sed ab æterno à Patre genit-
tus: iam vero aliam quoq; accedere causam ob quam
futurus sit DEI potius quam hominis filius, quia nō
ex viri semine sed ex Spiritus sancti virtute concipien-
dus erat. Quod obseruasse etiam Epiphanium contra
hæres. 30. Ebionæos videlicet, legimus. Atq; ita falla-
cia non causæ vt causæ committitur ab aduersarijs: nō
enim quia Angelus vnā expressit causam, cur Chri-
stus è virgine homo nasciturus DEI filius futurus
sit: ideo excluditur alia causa ob quam vere & natura
filius DEI ab æterno fuerit. Ioan. 10. v. 36. expresse
dicit se esse filium DEI, me inquit, quem Pater sancti-
ficauit & misit in mundum vos dicitis blasphema-
re, quia dixi, FILIVS DEI SVM. Probat enim
se nō esse blasphemū: 1. quia sanctificatus, id est, sanctus
genitus, & delectus à Patre ac consecratus, vt esset
Mediator & Seruator mundi: 2. sanctificatus quoq;
secundum assumptam carnem: in qua missus, ad sancti-
ficandum nimirum & seruandum homines, quod nisi
verus & ὁμοῖος Patri DEVS & ipsa sanctitas es-
set, fieri ab ipso haud vnquam potuisset. Quod & al-
tius assurgens, seq; non nudum duntaxat hominem
esse testatus, subiicit: si non facio opera Patris mei, no-
lite

lite credere: si non ego in Patre & Pater in me, atq;
adec vnum sumus, (proinde naturalis ac proprius
ego DEI Filius), nolite credere: vt sequenti textu
luculenter docetur.

Act. 13. v. 33. hæc leguntur verba: Eam promissio-
nem, quæ ad Patres facta est, DEVS adimpleuit fi-
lijs illorum nobis, suscitato Iesu, vt etiam in Psalmo 2.
scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. In-
de inferre volunt, id quod à nobis ad æternam Christi
generationem refertur, ab Apostolo accommodari ad
resurrectionem Christi. Non equidem nego, sed inde
nondum firma consecutionis necessitas, quod hic lo-
cus non possit & debeat explicari de filij ex Patre an-
te omnia secula natiuitate. Apostolus ad resurrecti-
onem propterea accommodauit, vt testatum faceret,
quod Christus re ipsa declararit resurgendo ex mor-
tuis se verum esse & naturalem DEI filium, ante in-
carnationem quidem genitum, at tunc per miraculum
gloriosæ resuscitationis vere patefactum. Alibi in e-
pist. ad Hebr. 1. c. v. 5. non ad resurrectionem sed ad
diuinam eius maiestatem hoc Psalmi dictum refert:
probans inde hunc esse DEI filium, quem vt primo-
genitum & vnigenitum, constituerit Pater heredem
vniuersorum, per quem & secula fecerit, qui sit splen-
dor gloriæ & character hypostaseos illius, omnia sus-
stinens verbo suo potenti,

Rom. 1. v. 3. & 4. aperte negatur Christus purus
esse homo, & asseritur diuina quoq; eius natura. Cum
enim dixisset: Christus est ex semine David secundum
carnem: mox subdit: qui declaratus est Filius DEI
secundum spiritum sanctificationis: vbi nomine spiritus

H

tus di-

**Petrus 1. 3.
6. v. 18.**

tus diuina natura intelligi debet: vt ex antithesi clarum, qua carni spiritus opponitur: secundum illam homo: iuxta hunc **DEVS** est: confirmante id Tertulliano contra Praxeam pag. 427. qui factus est inquit ex semine Dauid secundum carnem, hic erit homo & filius hominis: qui declaratus est filius **DEI** secundum spiritum sanctificationis: hic erit **DEVS** & sermo, **DEI** filius. Vide Ambr. quoque in 1. cap. ad Romanos.

**T. quarto in
expos. qua
rond. propo.
sit. Epistola
ad Rom.**

Rom. 8. v. 25. Christus nominatur primogenitus inter multos fratres: Hic locus, interprete August. satis docet aliter intelligendum **DEVM** nostrum vnigenitum, aliter primogenitum. Nam vbi vnigenitus dicitur fratres non habet, & naturaliter est Filius **DEI**, verbum in principio, per quod facta sunt omnia. Secundum susceptionem autem hominis & incarnationis dispensationem, per quam nos etiam non naturaliter filios in adoptionem filiorum vocare dignatus est, primogenitus dicitur cum adiunctione fratrum. Vbi enim primus dicitur, non vtiq; solus, sed consecuturis fratribus, in quo ipse praecessit. Vnde & alio loco primogenitum eum a mortuis dicit, vt sit in omnibus ipse primatum tenens. &c.

Psalms 2. & maxime sextus & septimus versus nonne Regem Sion esse **DEI** aeterni filium, & quidem a Deo, hoc est, essentia eius genitum confirmat, quem osculari iubet Pater & venerari. Quamobrem Epistola ad Hebr. 1. c. v. 5. hoc tanquam insigni testimonio conuincit Christum esse supra Angelos omnes, non vt creaturam omnem excellentissimam, sed vt filium Dei, ita vnigenitum, vt ei soli dictum sit a Patre:
Filius

Filius meus es tu. Quid ergo hic pro se adducere mol-
liuntur hostes CHRISTI?

Ad Ebræos 5. v. 5. confirmatur Christi dignitas,
sacerdotium & officium: simul vero & æterna eius di-
uinitas, cum dicitur: Christus non sibi hunc honorem
tribuit vt fieret Pontifex, sed is qui dixerat ei: filius
meus es tu, ego hodie genui te, &c. Poterat sane sibi
ipsi tribuere dignitatem istam Pontificiam & sacer-
dotalem: sed à Patre potius suo mitti voluit, cuius est
filius vnigenitus; Et paullo post: quamuis filius esset: v. 8.
ESSET, inquit, non futurus, deinceps tamen didicit ex
iis quæ passus est obedientiam.

Itaq; tantum abest, vt his aut alijs omnino locis
scripturæ impugnetur æterna Christi à patre natiui-
tas, vt potius ex omnibus quotquot aduersarij citant
testimonijs euidenter & potenter, si μακρολογία grata
foret, demonstrari ea posset: saltē oculos ad clarissimā
veritatis lucem aperiant Ariani, priusquam διφθέρων
intuitus DEVS, oculos ad vindictam grauissimam a-
periat.


Atq; hæc quidem breuiter opponere iussit ver-
ritatis amor strophis & paralogismis ineptissimis A-
rianorum recentium: quæ si perfidis & refractarijs nō
satisfaciunt, occasionem tamen pię iuuentuti munien-
di animos aduersus venena Antichristianorum horū
præbere non exiguam poterunt. Aeternus ille vni-
geniti sui; & æterni Filij Pater constantes nos in vera
fide & confessione conseruet, aduersarios & Apostas-
tas vel luce clarissima veritatis iterum collustret &
conuertat: vel compescat deniq; potenti ore Spiritus
sui Sancti. Amen.

F I N I S.


Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint text, possibly a signature or date, located at the bottom center of the page.









2

ARIANORVM RECEN-
TIORVM LIBELLO

Cui haud ita pridem edito, titu-
lum fecerunt,

ARGVMENTI PRO TRINO ET
VNO DEO, OMNIVM PO-
tissimi, aut certè vsitatissimi,
examinatio, &c.

Opposita brevis responsio siue
ANTITHESES;

Scripta ad Θεογνωσίας s. con-
firmationem

Ed 65

à

CHRISTOPHORO PELARGO D.

Quam in familiari & sobria doctorum adolescens-
tum σωθεολογήσει tueri conabitur

Iohannes Henricus S. SiL.



[FRANCOFVRTI
Typis Eichornianis.

Anno clō lō xclll.

73

